

05

A

2081



I. N. J.
SOBRIA ASSERTIO
DE
UNIVERSALI
OMNIUM HOMINUM
VOCATIONE AD SALLITEM,

ET SELECTIM
DE DIFFICILI QVÆSTIONE
An Evangelium Apostolorum
tempore sit prædicatum in Americâ, & aliis
novi orbis partibus?

Errata

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,
DN. PAULI RÖBERI, SS. Theol.
Doctōris, P.P. Pastoris ac Superintendentis VVit-
teb. atq; vicinarum Ecclesiarum Generalis, Synedrii quo-
que Ibidem Assessoris, Patroni ac Præceptoris sui honorandi,
Calvinianis opponere

&
*Publico doctorum colloquio discutiendam
exhibere voluit*

M. ALBERTUS GÜNZELIUS
Stolpenâ-Misnicus.

In Auditorio Majori, ad diem 10. Octobris.

WITTEBERGÆ

Typis Jobi Wilhelmi Finckii, Anno MDCXXXIX.



1802 A 50



IN NOMINE JESU AMEN!

DE UNIVERSALI OMNIUM
HOMINUM AD REGNUM
COELORUM VOCATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De vocationis principio, seu prin-
cipali causâ.

Dincipium & causa Vocationis est im-
mensa DEI gratia, qua diversis acti-
bus concurrit ad hominum salutem,
inter quos non ultimus ipsa vocatio
est. Proœmii loco de omnibus actibus pauca da-
mus.

I.

Gratiam DEI esse fundamentum salutis,
testimonio sunt dicta Scripturæ. Rom. 8. v. 28. seq.
Eph. 2. v. 8. Job. 3. v. 16. Nam misericordiæ Domini
sunt, quod non omninò consumamur, Thren: 3.
v. 22. & ille solus salvat, Esa: 45. v. 21. Os. 13. v. 4. Is. 43. v. 25.

II. Gratia verò nobis h. l. est benevolus ille affectus libe-
randi homines à peccato & morte, qui Tit: 3. v. 4. χρηστότης be-
nignitas καὶ φιλανθρωπία, humanitas DEI, seu amor erga ho-
mines dicitur, item ἀγάπη charitas ad Rom: 5. v. 8. Et quando-
quidem miserorum est hæc dilectio, speciatim appellatur
ἐλεῶ ad Tit: 3. v. 5. Heb: 4 v. 16. τὸ ἐλεῶ Luc: 1 v. 50. ἀλάγ-
χνα ἐλέος θεῶν, viscera misericordiæ, Luc: 1. v. 78. οἰκτιρμοὶ mi-
serationes 2. Cor. 1. v. 3. Unde etiam ἱϛ ab etymo ἱϛ quod

A 2

grati-



2.

gratificari significat, per verbum miserendi exponi solet, *Exod:* 33, v. 19. $\text{יְהוָה רַחוּם-חַנּוּן יְרַחֵם$ & gratiofus ero, cui gratiofus ero. *Rom.* 9, v. 14. ἐλεήσω, ὡς ἂν ἐλεῶ, καὶ οὐκ ἐμεθήσω ὅτι εἰς οὐκτείρω. *2. Reg.* 13, v. 23. Et misertus est יְהוָה Jehova illorum. Targum reddidit per חַנּוּן . *Matth* 15, v. 32. Miserebor super hanc turbâ, Syrus habet vocabulum חַנּוּן . Huc referenda videntur conjugata hujus verbi: *χάρις, χάρισμα, χαρίζω*, gratificor, condono. *Luc:* 7, v. 24. non habentibus, unde redderent, utriq; donavit, ἐχαρίσατο, ex gratiâ, ex misericordiâ donavit. *2. Cor.* 12, v. 13. ἐχαρίσαθε donate mihi hanc injuriam, *Eph:* 1, v. 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ ἐχαρίτωσεν dilectos & gratos nos habuit in dilecto.

Eodem sensu apud profanos Scriptores in usu est, Plutarchus in *Catone* Uticensi ait, se belle vitam servare χάριτι καίσει , id est, gratiâ & clementiâ Casaris.

Suidas & Varinus è Sophocle ostendunt χάριον significare πρᾶγμα ὡς Φελίμω δόσιον, seu ἀντι-
χαριον.

3. Unde gratia hoc loco activè significabit, nempe benevolentiam ac favorem superioris erga inferiorem, sicut ita extat *1. Cor.* 15, v. 10 Cum gratia Dei sum quod sum. *Job:* 3, v. 16. *Rom:* 4, v. 4. *Eph:* 2, v. 8.; Hinc invenire gratiam, est favorem consequi, quod de beatâ virgine dicitur, *Luc:* 1, v. 30. Removetur ergo significatio passiva, quâ sumitur pro inferioris personæ dotibus, meritis aut etiam gratuitâ quâdam acceptatione, seu gratiositate, quâ quis est aliis gratus, sicuti *Dan:* 1, v. 9. dare alicui gratiam, est efficere, ut aliquis sit gratus. Sic Maria quoque dicitur esse gratiâ plena. *Luc.* 1, v. 28. *Luc.* 4, v. 22.

4. Ea ergo gratia activè sic dicta, quâ Deus nos fovet & de morte ac peccato liberare procurat, planè gratiosa est, & universalis, cum non ex justitiâ sed solâ misericordiâ omnes omninò homines salvos esse velit, ipsisq; salutis media offerat. In quo respectu gratia Dei distinctos admittit gradus.

5. Primus est universalis Dei misericordia & benefica erga omnes homines voluntas, quâ iisdem amissam recuperare vult salutem, si satisfiat justitiæ suæ. Ipse hoc testatur, *Ezech:* 33, v. 1. c. 18, v. 32. & 33. *Ebr:* 6, v. 17. *1. ad Tim:* 2, v. 4. *2. Pet:* 3, v. 9. *Rom:* 11, v. 32. *Matth:* 11, v. 28.

6. Alter actus gratiæ est, quo Deus Filium suum misit in hunc mundum ad implendam legem, omnesq; homines morte:

te sua redimendos, *Job: 3. v. 16.* Ob quem actum Christus dicitur *δωρεά Job: 4. v. 10. ἰλασμός* pro totius mundi peccatis, *v. Job: 2. v. 2.* redemptio pro omnibus, *1. Tim: 2. v. 6.*

7. Tertius actus est universalis vocatio, quâ beneficia per obedientiam & satisfactionem Christi omnibus parta per verbum & Sacramenta omnibus offert, tanquam per media ad salutem destinata, ut per illa nos vocemur, ad participationem salutis. Hinc jubet annunciare verbum, ut omnes resipiscant, *Act: 17. v. 30.* Instituire ministerium reconciliationis *2. Cor: 5. v. 8.* proponere Filium suum ceu propitiatorium ad *Rom: 3. v. 25.* parare *σωτήριον* ante faciem omnium populorum, *Luc: 2. v. 31.* annunciare Christum & admonere omnem hominem, *Col: 1. v. 28.* Quam vocationem insequens Paulus, dicitur insequi brabeum supernæ vocationis, *Phil: 3. v. 14.*

8. Quartus actus gratiæ est fidei, & qui fidem comitari solent, motuum excitatio, per ordinaria media, verbum & Sacramenta. Ad quem actum pertinet fors sanctorum ad *Col: 1. v. 12.* Et hæc efficacia verbi exinde vim suam habet, quia promanat ab ipso Domini Spiritu, *1. Cor: 2. v. 11.* *1. ad Thes: 1. v. 15.* *Esa: 54. v. 3.* ut hinc Apostoli dicantur cooperarii Dei, *1. Cor: 3. v. 9.* ministri, per quos credimus, *1. Cor: 5. v. 5.* per quos Deus est efficax, *ad Gal: 1. v. 8.* Sed efficacia hæc competit verbo, non quatenus est litera scripta vel sonus Physicus, nec quasi eiusmodi qualitas sit in creaturis aut hominibus, sed ex ordinatione divinâ. Efficaciam verò verbi probant 1. Testimonia, ad *Rom: 1. v. 16.* *1. ad Tim: 4. v. 9.* *Rom: 10. v. 17.* *1. Thes: 2. v. 13.* ad *Gal: 3. v. 2.* 2. Encomia, quibus Spiritus S. efficaciam verbi ornat, ut sunt, quando dicitur ministerium vivificans, *2. Cor: 3. v. 6.* sermo vitæ, *Act: 5. v. 20.* Evangelium salutis, *Eph: 1. v. 13.* verbum vitæ æternæ, *Job: 6. v. 68.* 3. Similia efficaciam verbi denotantia. Nam confertur semini immortali, quo renascimur, *1. Pet: 1. v. 23.* imbri, *Esa: 55. v. 10.* pluviam, quâ irrigamur, *Os: 6. v. 3.* agriculturæ, *Marc: 4. v. 8.* *Esa: 6. v. 1.* 4. Exempla Judæorum & Profelytorum, *Act: 2.*

v. 37. Eunucho, *Act: 8. v. 35.* Cornelii, *Act: 10. v. 44.* Verè itaq; nominari potest ordinarium medium in respectu ad vias Dei imperscrutabiles & extraordinarias operationes. Nam licet ipse velit nos esse alligatos ad hæc media, semetipsum tamen non alligat, sed interdum regenerat modo extraordinario, ut videre licet in Johanne Baptistâ, præsentem Dominum agnoscente in alvo adhuc maternâ; Sic in conversione populi, ratione totius aggregati, extraordinaria sæpè accidunt aliqua *Act: 18. v. 10.* quæ ad illud Apostoli referenda, *Rom, 11. v. 3.* O altitudo!

9. Quintus actus Gratiæ divinæ est, quò Christi justitiam per fidem nobis applicat & imputat, *Eph: 1. v. 7.* habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ eius.

10. Cui cognatus est favor Dei, quo prosequitur jam justificados, ut amicos, filios, ac hæredes vitæ æternæ. *Eph: 1. v. 6.* Gloriosa gratiâ suâ gratis nos dilexit in dilecto. Dicitur potest distinctionis causâ amor complacentiæ, *Job: 16. v. 27.* *Jac: 2. v. 23.* Sicut priorum actuum gratia appellari potest amor commiserationis & beneficiæ.

11. Ita abundat in nos gratia Dei, ut si Christiani velimus esse, non possimus non cum gratitudine agnoscere gratiam & amorem Dei, eumq; omnibus modis deprædicare. Sed longè recedant à gratitudinis lege, qui amplitudinem gratiæ divinæ certis quâsi cancellis includunt, ab universitate singulorum ac omnium quàm longissimè remonent, & ad solos electos ac credentes restringunt.

12. Huius ingratiudinis notâ sese turpiter conspurcant Calviniani, qui omnes gratiæ actus limitant, extenuant & penè tollunt. Satis sit jam dicere de actu gratiæ tertio seu Vocatione, quàm particularem faciunt, præter veteres, Perkins. in cath: p. 499. Crocius part: 2. convers: Bruten: cap: 16. pag: 478. Johannes Ferzlerus lib: de fructu mortis Dominicæ, per totum. Wendelinus tract. de prædest. c. 3. & 7. Decreta Synodi Dor-dracensæ anno 1619. celebrata pag: 409. & 410. Cui sententiæ

riae Petrus Molinaeus Pastor Ecclesiae Parisiensis subscripsit :
Petrus Molinaeus, hoc credo, hoc profiteor. Verum erro-
neae isti sententiae contraibimus, nostram ponendo sententiam
& respondendo ad argumenta contraria.

5.

CAPUT SECUNDUM

De quidditate & formalitate voca-
tionis factae, tum in Veteri, tum
in Novo Testamento.

*V*ocatio hic est manifestatio divina voluntatis
cupientis omnes homines lapsu Adae perditos,
per CHRISTUM salvos fieri & aeternam vitam do-
nari.

§ 1. De vocatione quando loquimur, ante omnia discer-
nimus tempora, quae vel ante lapsum fuerunt, vel post lapsum.
Hiscè vocatione, de qua agimus, opus erat, illis temporibus
non item. Nam cum primus homo ad imaginem Dei factus
esset, in excellenti quâdam conformitate cum Deo, ut
tandem in aeternum cum ipso viveret, non indigebat tali
vocatione, quia finis vocationis etiam extra hanc obtineri
poterat.

§ 2. Quippè quasi aliquis Aaron Ex: 28. à primâ creatio-
ne primus homo sacerdos erat, cuius templum universus mun-
dus; paradus sacellum quasi & sanctum, arbor scientiae boni
& mali Sanctum Sanctorum; super humerale **וְהָיָה** erat imago
ipsius Dei, in quo eminebat **וְהָיָה** pectorale iudicii, cui
inditae erant, **וְהָיָה** illuminationes &
perfectiones, id est, plena notitia Dei & creaturarum in
intellectu & perfecta iustitia & sanctitas in voluntate. Ci-

*Urim & Thu-
rim ita cum
nonnullis red-
dimus. Licet
alii aliter sen-
tiant. Vide Dru-
sum, Münste-
rum, Rungius,
Fagium, Cor-
nel, à Lapide.
Paris*

daris *קדושים* cum *לילך* flore seu laminâ aureâ, cui inscri-
ptum erat: *Sanctitas Domino*, gratia illa, quâ Deus primus
hominem complectebatur, fuit. Religio, modusq; colendi
DEUM intrinsecus ipsius cordi inscriptus erat; externi cultus
objectum ex solenni præcepto arbor in medio hortû fuit, ut
abstinentia ab eius fructu obedientiam, in re aliogvi liberâ,
publicè demonstraret.

§ 3. Verum ista felicitas deturbata est Adæ lapsu in sum-
mum infortunium, & homo è dignitate Sacerdotali dejectus,
sumtaq; larvâ Satanæ, peccato, irreligiosus & hostis DEO fa-
ctus est, eum fugiens, seipsum suumq; Ducem Satanam colens,
quod suum peccatum excusando, & DEUM, à quò mulier data
erat, accusando, satis ostendit.

§ 4. Ne itaq; homo, propter quem omnia condita erant,
in æternum periret, *vocatione* opus erat in novam salutis viam,
quam Pater misericordiarum ex summâ misericordiâ, quam
angelis lapsis non exhibuit, missione Filii instauravit, omnesq;
ac universos homines vocavit ac invitavit, ut, applicandâ sibi
Christi justitiâ per fidem, in æternum cum ipso viverent.

*Noxalis re-
stauratio Cre-
atione majus
fuit beneficiû.
Ostendit &
Objecti condi-
tio, & Agendi
Ratio. Nam
1. In Creatio-
ne Agendum
erat in Non-
Ens in Restau-
ratione in Mi-
serum Ens. At
non-Ens meli-
est Misero En-
te, Matth: 26.
v. 24. 2. Ne la-
deretur Justi-
tia Divina ip-
sius Dei Morte
Opus erat.*

§ 5. Sed ut eò feliciter ad *quidditatem vocationis* penetre-
mus, ante omnem operam vocis homonymia excutienda vi-
detur. Sumitur enim vocatio vel *genericè* vel *specificè*.

§ 6. *Genericè* significat claram concionem, lectionem,
aut prædicationem; Sicut & Hebraica vox *קרא*, quod notat
vel clamavit, nominavit nomine, nomen imposuit *Gen: 1. v. 8.*
c. 19. v. 39. Luc: 1. v. 59. vel accersivit Gen: 12. v. 18. c. 25. v. 57.
Matth: 20. v. 8.

קרא differt ab aliis verbis, quæ clamantem tantum, seu vociferatio-
nem significant, absq; rei nominatione, neq; ad personam aut rem habent
respectum.

§ 7. *Specificè* sumitur tribus modis, 1. *Politice*, notatq;
gradum & conditionem vitæ externam, *Esa. 22 v. 20. 1. Cor: 7.*
v. 20. 2. *Mysticè*, ubi vitæ æternæ hæreditatem significat,
Phil. 3. v. 14. ad scopum contendo ad brabeum supernæ voca-
tionis, quæ est in Christo Jesu, 3. *Ecclesiasticè*, notatq; vel *stri-*
ctè

7.
Hæc vocationem ad officium Propheticum, aut Ecclesiasticum,
Esa: 49. v. 1. Matth: 4. v. 21. ad Heb: 5. v. 4. atq; hi vocationum
modi, siq; forsitan alii civiles sunt, à nostro instituto sunt alieni;
vel laxè, quo sensu Ecclesiastico latè ita sumto, ipsa *quidditas*
vocationis exprimitur, dum significat vocationem omnium
hominum ad regni Christi communionem.

§ 8. Hi ergo in nostro sensu vocari dicuntur, quibus vo-
luntas Dei de hominibus in gratiam recipiendis patefit,
cum exhortatione ad credendum, & percipiendum fructus
huius gratiæ, *Matt: 9. v. 13. Rom: 9. v. 24. Rom: 8. v. 30. Gal: 1. v. 6.*
1. Thes: 2. v. 12. Ut inde vocatio explicetur parabolâ Regis, ser-
vos mittentis vocatum hospites ad filii nuptias, *Matth: 22. v. 3.*
& Patris familiâs cœnam magnam parantis, *Luc: 14. v. 16.* quò
ostendatur, quæ sit illa vocatio ad regnum & gloriam Christi,
nempe petitio, adhortatio, sollicitatio Dei, æternam salutem
spontè offerentis, post lapsum utriq; testamento communis.

§ 9. *Formalitatem* vocationis addit *intuitus meriti Christi,*
per fidem apprehendendi, nam Christus quasi anima est salutis
nostræ: ille enim est autor & dator vitæ, *Act: 3. v. 15.* propitia-
torium per fidem in sanguinem eius, *ad Rom: 3. v. 25.* Dominus
gloriæ, *1. Cor: 2. v. 8.* Justitia nostra, *Jer: 23. v. 6.* Principium &
finis, alpha & omega nostrû, *Apoc: 1. v. 8.* Est ipsa vita, *Job. 11. v. 25.*
in quo omnia consistant, *ad Col: 1. v. 16.* Ut hinc & salus homi-
num in ipso sit collocata, tum eorum qui in N. T. tum etiam
qui in Veteri vixerunt: tum qui antè, tum qui post diluvium.

§ 10. *Ante diluvium* vocationem esse factam intuitu Chri-
sti, demonstrat 1. *Promissio seminis mulieris,* facta primis pa-
rentibus, atq; ita toti humano generi, quod primi parentes re-
præsentabant, *Gen. 3. v. 15.* istud autem semen *γενέθρῶτον* fore
indicavit primum Evangelium, dum opus divinum, scilicet
contritionem capitis serpentis Diabolici, attribuit mulieris se-
mini, quod ita fuisse intellectum, ipsa Eva innuit, *c. 4. v. 1.* vide
Meisnerum contra Socinum pag: 245. 2. *Typi sacrificiorum,*
quæ à Deo fuerunt instituta, quia placuerunt, *cap: 4. v. 4.*, idq;
non *per se* ex opere operato, nec ex opere operantis simplici-
ter,

B

ter,

ter, sed per fidem, Ebr: 10. v. 4., quam aliam habuisse promissionem, quam respicere potuerit, ac illam Gen. 3. v. 15., probari nequit. Quandoquidem sacrificia mediatoris officium, in contritione capitis serpentini & morfu calcanei indicatum, ipsis oculis exposuerunt. 3. *Predicatio & adhortatio* facta ab ipso Spiritu S., quæ deinceps denegabatur à DEO, dicēdo: Non contendet meus Spiritus cum homine in seculū, Gen. 6, 3. 4. *Ministeria preconum justitia*, quorū etiam Apostolus meminit 2. Pet: 2. v. 5. ut non tantum ex naturā seu infitis principiis, post lapsum residuis, sed & revelatione legem habuerint, ex quā peccatum concupiscentiæ originalis & actualis cognoverint Gen: 6. v. 5. & homines ad pœnitentiam excitati fuerint cap: 4. v. 7. ac sacrificiis, meriti Christi fide apprehensi typis, expiati, cum DEO ambularint.

*Legis Moralis
decem praecepta ante Mo-
sen viguisse,
ostendit etiam
Sibr. Lubert.
de Christian.
servit. l. 4. c. 6.
p. 495.*

§ 11. Licet verò 1. strictiùs hæc doctrina à Mose tradatur, plenius tamen ipsam fuisse in concionibus Patriarchalibus explicatam, credendum est; sicut id de concionibus & actionibus Christi Lucas quoq; asserit, & Johannes cap. 21. v. 25. Quod porrò denegatum illud *contendere* Spiritus probare videtur Gen: 6. v. 3. Nec 2. posteriora quæ in Scripturis revelata sunt, opponenda sunt prioribus, sed utraq; conjungenda; cum diversitas temporis in revelatione non faciat diversitatem in reipsâ; utrumq; enim is dixit, qui ipse est veritas Deut: 32. v. 4. Et 3. Obscuriora Veteris T. in Novo T. subindè elariora facta sunt, Col: 2. v. 17. ad Hebr: 10. v. Et ut 4. addamus; Cum generalia Scripturæ effata ad omnes omnium temporum pertineant, utiq; illa etiam ad primos istos homines in mundo antediluviano, qui à Petro dicitur *ὁ πῶτε νόστος* 2. Ep: 2. v. 6. accommodanda erunt. Illud enim illimitata universalitas videtur requirere, cum à genere ad speciem semper valeat illatio.

§ 12. Pariter existimamus de Epochâ Veteris T. post diluvium, quod in hac quoq; salus hominum unicè dependerit à Christo, & in hoc uno facta sit à DEO vocatio hominum ad cœlorum regnum. Nam 1. præter vaticinia omnia de Messia
operi-

operibus & beneficiis subindè à Prophetis iterata, quæ nihil aliud sunt, quàm explicationes primæ promissionis Adamo factæ; præterq; 2. omnem Leviticum cultum, & Sacrificia, quæ Christum cum beneficiis suis repræsentabant, ob quæ expressè agnus dicitur *Job: 1. v. 29.* eò quod hostia sit pro mundi peccatis offerenda; adducimus Apostolorum expressa testimonia.

§ 13. *Primum erit universale affirmativum, Act. 10. v. 43. De hoc testantur omnes Propbeta, quod remissionem peccatorum accipiat per nomen ejus, quicumq; credat in eum.* Ubi urgemus 1. relativum τῆς τοῦ ad Christum referri, ut judicem omnium, etiam eorum, qui tempore Prophetarum demortui sunt. 2. Prophetarum non simplicia Vaticinia, sed testimonia. 3. Præsentiam rei (ἀφ᾽ ἑστέως) quæ demonstratur & ex verbo λαβεῖν, quo dicitur accipere, non accepturus esse, & participio πιστεύοντα, credens, non crediturus. Urgemus 4. non fuisse simplex & nudum testimonium, sed plenum, indicans & fundamentum, quod per Christi nomen fiat, & applicationis medium, quod est non quævis fides, sed ea, quæ in Christum est. Et 5. urgemus istum salutis modum universalem fuisse; de omnibus enim dicitur.

§ 14. *Secundum contrarii exclusivum, Act. 4. v. 12. Non est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum inter homines, in quo nos oporteat salvos fieri.* Ubi urgemus 1. cohæsiōnem dicti per particulam καὶ, cum dicto Psalmi 118. v. 22. qui ad Halleluja magnum pertinuit, in quo Judæi religionis suæ confessionem confessi sunt. 2. Disertam contrarii exclusionem, non est in alio salus. 3. Exclusionis repetitionem, ἐν ᾧ ὁ δὲν, quæ exindè est fortior. 4. Exclusionis rationem, ἅτε γὰρ ὄνομα ᾧ ὄντι ἐστὶν ἔτι ἄλλο. Quod ut planè Apostolus universale faciat, addit *universalitatem loci*, sub cælo, id est, in toto mundo, prout sumitur *Luc. 17. v. 24. Act. 2. v. 5. ad Col. 1. v. 23. universalitatem temporis*, tam præteriti, non est datum *δεδομένον*, quàm præsentis, in quo oporteat salvari: *universalitatem subjecti salvandi*, ἐν ἀνθρώποις, quicumq; in hominum numero

B 2

unquam

unquam fuerunt, erunt, sunt. 5. Urgemus necessitatem eiusmodi viæ ad salutem in voce *dei*, oportere, sc: nos ita servare.

§ 15. *Tertium speciale distributum*, Act. 15. v. 10. *Per gratiam Domini IESU Christi credimus nos salvos futuros, quemadmodum & illi.* Ubi urgemus, præter alia omnia, Apostoli scopum, qui disserit de salute Christianorum ab Exemplo Patrum, quod sicuti illi servati sint sine legis observatione; ita etiam hi serventur. Nam de eo erat discursus, & Judæi converſi putabant aliquam justificationis partem ex lege esse petendam; ubi tamen Synodus concludebat contrarium.

§ 16. In Novo T. nos per Christum vocari ad Christum, nemo est qui nescit, nisi qui Christum nescit. Ut ita in utroq; Testamento sit una salus. Differentia tamen aliqua subest ratione Christi. 1. *Quoad objectum* circa mediatoris humanitatem, quæ in V. T. typis, in N. ipsâ substantiâ vocatis ad salutem proposita est. 2. *Quoad tempus*, quia illuc per exhibendum facta est vocatio, hic per exhibitum. 3. *Quoad gradus claritatis & gratia*, quæ illuc in nube typorum rerumq; temporalium facta fuit, hic verò uberior & omninò manifesta est. Ista tamen differentia, est tantum ex parte hominum vocatorum, non Dei vocantis.

§ 17. Cum ergò *formale vocationis* consistat in Christo, fide apprehendendo, totus aliquando *Christianismus* dicitur vocatio, 1. Cor. 1. v. 26. Eph. 1. v. 18. 1. Pet. 1. v. 10. & vocati idem quod *Christiani* sunt, licet non semper.

§ 18. Etenim vocati vel dicuntur *κλητοί* nominaliter, vel *κεκλημένοι* participialiter. *Nominaliter* sic dicti *κλητοί*, sunt qui parent & morem gerunt vocanti, ad Rom. 1. v. 6. c. 8. v. 24. 1. Cor. 1. v. 2. Apoc. 17. v. 14. licet non semper finaliter credant, ut *Matth. 20 v. 6. c. 22. v. 14.* *Participialiter* dicti *κεκλημένοι* etiam non parent vocanti, *Luc. 14. v. 17.* licet non negemus *κεκλημένους* aliquando dici, qui vocationi obediunt: Nam *Luc. 14. v. 7.* dicebat ad *κεκλημένους* (accumbentes puta) hanc parabolam &c.

§ 19. At licet non in omnibus isthac differentia stare possit,

possit, cum nō sint alii ἐκλεκτοὶ in Scripturā, alii ἐκλελεγμένοι
quia electio est Dei decretum, quod mutari non potest ab ho-
minibus; in iis tamen actibus divinis notandum venit isthoc
discrimen, ubi requiritur *hominum si non actio*, attamen non re-
luctantia, id est, quos impedire potest humana malitia, quō-
minus effectum, quem intendunt, consequantur, qualis est vo-
catio.

§ 20. Ubi ergō disputamus de Vocatione omnium, non
id volumus, omnes congregari actu, sed hoc, omnes vocari actu,
licet non omnes vocanti pareant. Breviter, quæritur de κη-
κλημένοις, non autem de κλητοῖς. Illos asserimus esse omnes
mortales; hos non omnes.

CAPUT TERTIUM.

De indivisione Vocationis ex par- te DEI.

*§ Emper una eademq; est vocatio ex parte DEI,
licet ex parte hominis recipientis, vel repu-
gnantis, possit esse vel externa vel interna.*

§ 1. Licet Calviniani multas vocationis distinctiones in-
vehant, potissimæ tamen sunt hæ duæ, quibus vocationem fa-
ciunt *internam & externam*, item *efficacem & inefficacem*. Za-
vobius l. 3. de nat: Dei quest. 4. Wirtakerus de Ecclesia c. 7. quest. 1.
Sibrandus Lubert. l. 1. de Eccl: s. 4. Renneckerus in catenâ aureâ
salutis subinde. Calvinus instit: l. 4. c. 24. parag: 8. Polanus in Syn-
tag: Tom: 2. l. 6. c. 32. pag. 316. Beza in Resp: alt: ad act: coll:
Momp: pag: 16. Kimed. l. de Prædest. c. 14. p. 585. Crocius parte 2.
convers. Pruten: p. 408. & seq.

§ 2. Nos ut hæc de re sobriè loquamur, dicimus vocatio-
nem internam & externam posse accipi duobus modis, vel
ratione modi proponendi vel ratione efficacia. Ratione proponen-
nendi *externa* vocatio est, quæ auribus objicitur & sensibus, ut
per media ista & organa ad animam deveniat: *interna* est, quæ
non fit per externa media, sed immediatè animam alloqui-

tur, cor movet & convertit, quales vocationes *fanatici* sibi expectant. *Ratione efficacia externa* vocatio est, quæ tantum in sensibus externis hæret infrugifera, nec ad cor penetrat & hominem convertit: *interna est*, quæ per externa sensa ipsam animam petit, & cum fructu movet.

§ 3. Jam damus, vocationem *ratione efficacia* consideratam posse *externam* dici, & *internam*; ita tamen, ut Deus nunquam sit causa reluctantiæ hominum, malitiosè resistentium, ne verbum ad animam transire queat. Negamus verò hanc distinctionem *ratione modi proponendi consideratam*. Ibi enim una & eadem vocatio, quæ verbo suo inseparabili quodam nexu semper junctam habet convertendi vim, ut ita *causa inefficacia* non sit in *vocante*, quia omnes vult salvos fieri, *Ezech. 18. v. 23. cap. 33. v. 11. Job. 3. v. 16. & 17. Job. 6. v. 39. neq; in verbo*, quod est virtus & potentia, non aures corporis tantum percellens, sed & ad cor pertransiens; verùm *in auditoribus*, qui vocationem ab interioribus excludunt, faciuntq; ut, quæ vocatio ex parte Dei, ejusq; intentione, interna erat, maneat externa, quippè à corde exclusa.

§ 4. Duos ergò errores errant *Calviniani*, & quidem insignes: 1. Dum *duplicem actum* fingunt, primum *Externum*, s. *predicationis*, qui sit ministri: alterum *Internum*, qui sit motus & instinctus Spiritus Sancti, per potentem attractionem & immutationem cordis, quæ in mentis illustratione & immutatione voluntatis consistat, *Molineus in anat. Arianis: c. 36. p. 270.* Quomodo negant verbum esse medium conversionis & organum divinæ operationis. Sed opponunt subordinata. Nam Spiritus S. est prima conversionis causa, fidemq; operatur, non immediato instinctu, sed per verbum, *ad Rom. 10. v. 17. 1. Cor. 3. v. 9.*

§ 5. 2. *Errant* etiam in modo *efficacia*, dum causam inefficaciæ faciunt non hominum malitiam & propriam reluctantiam, sed Dei voluntatem, definiendo vocationem in *internam* & *externam* à causa efficiente, non à subjecto repugnante.

§. 6. Di-

§ 6. Dicunt: DEUM virtutem convertendi animos verbo addere, quâ sit verbum esse sterile: Dicunt, verbum prædicari multis, virtutem sæpè non addi. Sed hæc sententia sequentibus argumentis tollenda est & exterminanda.

§ 7. Primò, quia nec Scriptura dictis, nec exemplis demonstrari potest. Nam quicquid adducunt, hoc saltem ostendit, aut, quod omnis agendi vis in vocatione efficaci à DEO dependeat, unde tamen non infertur, ut cum DEUS sit causa efficaciz, ille etiam sit causa inefficaciz, cum non possit nesciri, quod, ut operentur agentia, pendere à virtute efficientis, ut effectu destituantur per causas impediens fieri posse; aut, quod DEUS justo puniat iudicio contemtores verbi, indurando & inefficaciam mittendo. Non autem demonstratur 1. ipsum in sese verbum indurare, vel minus clarum aut efficax esse; sicuti nec Sol propter accidens aliquod, aut interpositionem aliquam, obscuratur: nec 2. quod DEUS alios occulto vocet motu, alios verò non, quod probandum erat.

Proferunt tamen DICTA, 1. *Molinaus in anat: Armenianis: pag: 270. & Martyr fol: 851.* urgent Job: 6 v. 45. atque inde inferunt quosdam trahi quosdam non: quibusdam prædicari verbum, virtute vivificandi animatum, quibusdam non Male. Nam 1. damus, Neminem posse venire ad filium, nisi quem traxerit pater, eoq; dicto jugulari liberum in spiritualibus arbitrium; Sed nihil infertur nisi hoc, eos qui veniunt, non venire nisi tractos, non verò omnes, qui trahuntur venire. 2. Tractus iste non est *violentus motus*, ineluctabilem necessitatem inferens, rei vel animatæ vel inanimatæ, Job: 18. v. 10. & c. 21. v. 6, quæ vel extrinsecus vel intrinsecus repugnat, Luc: 12. v. 58. Act: 21. v. 30. Jac: 2. v. 6.; Sed lenè & talem motum, qui fit à *prædicatione verbi*, ut inde non omnes, qui trahuntur, obsequantur trahenti patri. Excipiunt tamen, *vocem trahendi* semper inferre vehementiam & vim: Respondemus 1. *negando*, cum fermè contraria exempla habeantur, Luc: 14. v. 23. ubi τὸ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, & cap: 24. v. 29. ubi τὸ παραβιάζειν & constantem, blandam tamen invitationem significat. 2. Po-

namus

Eo.

Dictum

Job 6. v. 45.

namus in plurimis notare vim seu violentiam: hic tamen defectum saltem notat omnium virium in tracto, & gratiam trahentis indeq; ortum beneficium omni ope destituti præstitum, Job:12.v.32. & hanc significationem in conversionis primo motu agnoscimus: Deus enim dum convertit nos, oculos mentis illuminat, 2. Cor. 4. v. 6. pravitatem corrigit, Jer: 31. v. 18. ex nolentibus volentes facit, dando τὸ θέλει καὶ τὸ τελεῖν, ad Phil: 2. v. 13. vide Cyrillum & Augustin: in hunc locum, & Wellerum in part: 1. anat. Masson: pag: 898. 899.

Dictum

Proferunt 2. dictum *Matth: 13. v. 11. Luc: 8. v. 10.*

Sunt qui Syro-
ram more pa-
rabolis usum
putant esse
Christum. Sy-
ris enim in usu
fuit ad omnē
sermonem pa-
rabolas adde-
re, ut per simi-
litudinē tene-
retur à vulgo,
quod simplici
præcepto tene-
ri non possit.
Hieron. in c.
18. *Matth.*
Clemens Ale-
xandrin. l. 5.
strom: hūc mo-
rem tribuit &
Barbaris &
Græcis. Et Se-
neca Epist. 59.
ait: Anti-
qui illi, qui
simpliciter &
rei demon-
stranda causa
eloquebantur, parabolis referti sunt.

Proferunt 2. dictum *Matth: 13. v. 11. Luc: 8. v. 10.* unde inferunt, quibusdam prædicari verbum ut intelligant, quibusdam verò non; quibusdam prædicari verbum virtute vivificandi animatum, quibusdam non. *Zanchius Tom: 1. fol: 43. Beza in act: p. 259. Martyr fol. 152.* Sed malè. Nam justum Dei judicium describitur in iis ipsis dictis. Et utitur Dominus parabolis, non ut quosdam à verbo arceret, hoc enim negat *Marcus cap: 4. v. 33.* sed 1. ut humilitatis & diligentia ἀφορμὴν daret auditoribus, unde addit, Qui habet aures audiat; ubi enim humilitas, ibi sapientia, *Prov. 11. v. 2.* Unde etiam discipuli humili animo petierunt parabolæ declarationem. 2. Ut verbo suo gratiam adderet, hanc enim vim tribuit *Augustinus parabolis, l. 2. de doct: Christ: cap: 6.* & illi auctoritatem conciliaret, memoriæq; humanæ firmiter imprimeret; id quod *Chrysostomus Homil: 45. in Matth: parabolis* adsignat, ut ita ad Omnes pertinuerint parabolæ. 3. Ut ab usum & contemtum donorum Dei præcaveret, in iis, qui inquirere volebant in sensum: quo pertinet aphorismus ille, *habenti dabitur,* juxta verba *Marci 4. v. 11.* foris sint, hoc est, Verbum non admittunt, omnia fierent parabolica, omnia ἀνιγμετώδη, ac indies in majorem ruerent cœcitatē. Non ergò hinc varietas finium, quibus ipsa à Deo vocatio discriminetur: sed auditorum diversitas à Christo, quæ finem Verbi intentum impediatur, ut plurimum monstratur, quâ fiat, ut alii nimirum attentius & φιλομαθεῖς, mysteriorum cognitionem assequantur: alii verò

verò, nimirum segnes & superbi contemtores, ob certum Dei
judicium minùs. *Gerh. t. 2. p. 194.*

15.

Deinde, (missis aliis, ut levioribus) proferunt exemplum *Exemplum*
Lydiæ Purpurariæ, *Act: 16. v. 14.* cuius cor Deus præ cæteris a- *Lydiæ, Act.*
peruisset. *Martyr fol. 852. Zanchius tom: 1. fol: 245. Molin: in 16. v. v. 14.*
anat: Arian: pag: 173. Verùm 1. Etsi Lydiæ speciatiim fiat men-
tio: non tamen inde sequitur nullos fuisse præterea, quibus
eadem gratia sit facta. 2. Etsi specialis gratiæ fiat mentio,
quod Lydiæ cor apertum fuerit, ut attenderet ad sermones
Pauli, non tamen inde probari potest, quod, cum aliorum cor-
da non fuerint aperta, non etiam fuerint internè à Deo pulsa-
ta. Paratus enim Deus est ad aperiendum cor cuivis audienti
verbum, non minùs ac Lydiæ, *Esa: 5. v. 1. & 2. seq. Ezech: 12. v. 2.*
Matth: 23. v. 37. Eaque apertio non sine *clavè* fit, ea verò cla-
vis est *prædicatio Evangelica*, quæ vi suâ ad internam hominis
animam, nisi ipse malitiosè resistat, efficaciter penetrat. Exci-
piunt liquere è dicto loco, non esse in hominis potestate velle
auscultare verbo: cum Dominus exinde aperuit cor Lydiæ, ut
attenderet, hinc omnibus debere cor aperiri, si audire debe-
rent. Sed respondemus, τὸ προσέχειν non significare loco ci-
tato nudè auscultare, sed assentiri: adeò, ut Scriptura aliquan-
do distinguat τὸ προσέχειν, à τῷ ἀκούειν, *Act: 8. v. 6.*, nec infre-
quens est, τὸ προσέχειν usurpari in Scripturis pro assentiri eis,
quæ proponuntur *Matth: 6. v. 21. Act: 5. v. 35.* 2. Licet homo
liberum arbitrium non habeat in opere suæ conversionis, ha-
bet tamen libertatem, imò pronitatem reluctandi in eodem.

§ 8. *Secundò, Quia hæc Calvinianorum sententia, negat*
verbum esse conversionis medium, & opponit causas subordinatas.
Nam 1. aut per verbum fit conversio, aut per aliam operatio-
nem à prædicatione distinctam. Si prius, malè distinguitur in-
terna vocatio ab externâ, ut specie & subjecto diversa: Si po-
sterius, quis effectus verbi erit, cum in sensibus tantùm hæreat,
impotens cor petere? 2. Causa conversionis est Deus, cui ver-
bum subordinatur, tanquam conversionis medium, ut Causa
Organica Causæ Principali. Jam si verbum à virtute conver-

II.

C

tendi

16.

tendi est distinctum, ita ut *hæc sit interna, verbum verò externa prædicationis*, sequitur, ut contradistinguantur, quæ subordinata erant in conversionis actu.

III.

§ 9. *Tertiò. Quia DEUM infidelitatis & hypocrisicos arguit.* Nam 1. qui causa est, ut aliqui non vocentur *vocatione internâ*, ille causa est, ut aliqui maneat infideles. At DEUS &c. nam homines ipsi internam vocationem operari non possunt, nisi id faciat absolutum beneplacitum DEI, ex hypothese Calvinianâ. Ergò. 2. Qui verbo & gravibus attestationibus simulat, diligenter sese facere, ut omnibus hominibus sit benè, interim tamen ipso facto id non exprimit, ille est hypocrita. At DEUS ex mente Calvinianorum hoc facit, dum homines nonnullos vocat intrinsecùs, in aliquibus verò per solam externam prædicationem, obdurationes & graviores damnationes operatur. Ergo DEUS, quod absit, esset hypocrita.

IV.

§ 10. *Quartò. Quia introducit Enthusiasum.* Nam Enthusiastæ inefficaciam verbi pro fundamento & principio habent internarum suarum revelationum. Concludimus ergò, *Sententiam, quam Calviniani hæc in causâ fovent, omninò esse frivolum, imò blasphemam.*

§ 11. Meliùs ergò sapiunt nostrates, qui, quod virtus vivificandi conjuncta semper sit verbo, non modò *expressis dictis Scripturæ* probant, *Esa. 65. v. 2. Prov. 1. v. 24. Esa. 55. v. 11. Ezech. 12. v. 2. Job. 5. v. 34. & 40. Rom. 10. v. 7. cap. 15. v. 4. 1. Cor. 1. v. 21. Luc. 16. v. 29. ad Rom. 1. v. 16. 1. Thes. 1. v. 5.* Sed & *illustri exemplo, Act. 7. v. 51.* Ubi Judæis prædicationi divinæ resistentibus objicitur, quod resistent Spiritui S. Ubi Judæi non simpliciter dicuntur resistisse prædicationi, jussu Spiritus S. administratæ, sed reluctati esse cooperationi Spiritus S. Imò missis aliis omnibus rationibus probant, id à *nostræ regenerationis modo*, quæ fit à DEI Spiritu, sed per Evangelium, tanquam semen immortale: prout ita describitur, *1. Pet. 1.*

v. 23. Atque hinc concludimus, nostram sententiam, breviter hactenus deductam, esse orthodoxam.

CAPUT

De fine Vocationis DEI.

Finis, quem DEUS vult ac intendit vocatione sua, est: omnium omnino hominum salus.

§ 1. Reformati confundunt voluntatem cum toto decreto Dei, Cum tamen hæc inter sese sint distincta. *Voluntas* enim Dei seu intentio eius, quâ nos omnes salvos vult, est talis, cum conditione mediorum à nobis non excussorum; totum verò *decretum DEI* est tale, quod æstimatum sit juxta infallibilem ejus præscientiam ad *Finalem nostram fidem*, & *habitudinem ultimam constantem*, ad proposita à DEO media. Unde profitemur, DEUM omnes velle converti prædicato verbo, licet hoc non absolvat *decretum totum* seu integrum.

§ 2. Injurius itaq; est in nos *Wendelinus*, qui pravam nobis affingit sententiam, *tract: de prædest: cap. 15. assert. 8.* quando ait: Externa vocatio (in Lutheranâ Ecclesiâ) ad reprobos quoque pertingens est indicium *decreti Divini* de salute ipsis conferendâ: postmodum hoc decretum DEI tantum de intentione & voluntate DEI interpretatur.

§ 3. Quippè in hoc differunt *intentio* seu *voluntas DEI* & *decretum DEI*, quod illa impediri queat, ne deveniat in actum: at non *Decretum*; quia Deus infallibiliter prænovit, non fore qui impediunt, quamvis impedire possint.

§ 4. Jam ergò quæstio nobis erit, non de *Decreto*, sed *voluntate* seu *intentione DEI*. Ubi nos asserimus: *DEUM omnes homines vocare cum intentione ac voluntate salvandi*. Thesis sequentibus demonstramus argumentis.

§ 5. *Primum* esto: Quos Deus eo fine vocat, ut resipiscant, eos vocat cum intentione salvandi. Sed omnes tam electos quàm reprobos ita vocat. Ergo. Major probatur, quia resipiscentia, *μετάνοια*, ejusdem hinc latitudinis est, cum conversione *הַשׁוּבָה* Deut. 30. v. 2. 1. Reg. 8. v. 35. Psal. 37. v. 27. Esa. 30. v. 15. Jer. 18. v. 8. In quibus dictis duo conversionis

Bucanus loc. 30. p. 287. disputat, μετένοια in Sacris literis semper in benâ sumi partem, & notare dolorem fide salvificâ temperatum: μετάνοια vero dicere contritionem vel hypocriticam, vel sejunctam à fide. Nos putamus istas voces ut plurimum ita significare, non semper.

termini ponuntur. Ut inde *Irenaeus* l. 3. c. 35. *paenitentiam & regressum* conjungat, prius per posterius ἐξηγητικῶς declarans. Quemadmodum enim omnis motus est inter terminum à quo & terminum ad quem: ita quoq; resipiscentia est conversio à peccatis ad justitiam, à tenebris ad lucem, à Diabolo ad DEUM, à morte ad vitam. Ut per metaphoram exindè dicatur *resurrectio prima*, respectu scil. *secundae* resurrectionis, quam in ultimo expectamus die, *Apoç. 20. v. 6.* Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in hoc *secunda* mors non habet potestatem.

Minor probatur, 1. *Matth: 3. v. 2.* Ubi Baptista format vocationem his verbis, μετανοείτε (*Marc. 1. v. 15. μετανοείτε καὶ πιστεύετε*) eandemq; dirigit non ad electos modò, sed ad Sadducæos Christi persecutores, *Matth: 3. v. 7.* 2. *Act: 17. v. 30. πᾶσι πάντα ἄρξιν μετανοεῖν παραγγέλλετε*, ubi urgemus 1. geminum universalitatis signum, pro extensione indefiniti termini, πᾶσι, πάντα ἄρξιν. 2. Tertium quoque signum universalitatis colligi posse ex *vers. 31.* qui continet αἰτιολογίαν effatam, ut hinc possimus concludere: Illis DEUS annunciavit verbum, ut resipiscant, quos judicaturus est in die ultimo: jam verò non solum electos, sed & reprobos judicabit. 3. Patet ex *vers. 32.* etiam contemptoribus verbi annunciatum esse, ut resipiscant. 3. *2. Pet. 3. v. 9.* Ubi urgemus 1. remotionem particularitatis, DEUM nolle *τίνας* perire. 2. Scopum Apostoli, qui occurrit empæctis, putantibus vana esse, quæ de Christi adventu dicerentur, *vers. 4.* & ait, causam dilati adventus esse *μακροθυμίαν* divinam, quâ patienter expectet vitæ humanæ in melius mutationem *vers. 9.*: quæ *μακροθυμία* non tam ad electos, quàm reprobos extendenda, *Rom. 2. v. 4.* Nam nulla esset causa, propter fideles velle differre, imò horum causa accelerabitur iudicium, *Matth: 24. v. 12. Luc: 13. v. 6.*

Ut minorem neget *Wendelinus pag: 86.* excipit ad dictum *Act: 17. v. 30.* istud non loqui de fine annunciationis verbi, s. ut omnes resipiscant, sed de objecto duntaxat, hoc sensu, DEUM per verbum omnibus ubiq; imperare resipiscentiam,

etiam, eodem verò sine omnibus imperare negat. Responde-
mus 1. Isthoc sine omni fundamento dici. 2. argumentamur,
Quod DEUS imperat conducens salutem humanam, hoc sermo vult
fieri: hic enim finis est imperantis, nisi aut ludere velit, aut
alium finem clarè exponat; sed DEUS imperat, in salutem hu-
manam negotio, tam electis quam reprobis, resipiscen-
tiam. Ergò ideo imperat, ut resipiscant, ut intentum finem assequi
velit; nisi DEUS ludere velit, quod vel sentire impium est, aut
alium finem exposuerit, quod nullibi factum.

Ad dictum 2. Pet. 3. v. 6. excipiunt *Calvinus in instit. Be-
za in Resp. 2. ad acta coll. Mumpel. Piscator Herbornensis in hunc
locum.* 1. Solis fidelibus Judæis scriptam esse Epistolam.
2. μακροθυμίαν ad fideles restringi, quando dicitur; DEUS pa-
tiens est eis ἡμᾶς, opponendo electos irrisoribus. 3. ἀγαπή-
της dici, ad quos fiat sermo. 4. Resipiscen-
tiam non esse om-
nium. 5. μακροθυμίαν electos respicere. Sed respon-
demus ad primum, non esse Epistolam solis Judæis scriptam,
cum inscriptio habeatur ad eos omnes, qui fidem ἰσχυροῦς
sortiti sint, ergò & ad Christianos.

2. Usitatum esse Apostolis semetipsos cum Ethnicis cri-
minum infimulare, ut eò confidentius increpare & fructuo-
sius per κωνοποιῶν eadem revellere possint, licet ipsi à scelere
sint alieni, ad Heb. 10. v. 26. Ut hinc particula ἡμᾶς primario
pertineat ad infideles.

3. Phrasin esse Apostolicam, omnes in visibili Ecclesiæ
coetu fratres appellari, 1. Cor. 15. v. 1. 2. Cor. 15. v. 19. licet in eo
vel multi sint infideles, vel fide semel agnitâ sæpè excidentem,
2. Cor. 12. v. 20.

4. Fieri mentionem resipiscen-
tiam ex intentione DEI, non
hominum praxi, ut plurimum in malitia perseverantium,
Act. 17. v. 36.

5. Falsò restringi divinam μακροθυμίαν ad solos electos
probat Lucas cap. 13. v. 6. Paulus ad Rom. 2. v. 4.

§ 6. *Secundam.* Quos DEUS vocat cum promissione re-
fectionis, illorum vocatio est destinata ad salutem. Sed omnes

vocat cum hac promissione. Ergo. Ratio Majoris est, quod refectionio à spirituali labore peccati per Christum, à conversione peccatoris ad Deum, ejusdemque gratiosâ translocatione ex statu iræ in statum gratiæ, ex statu damnationis ad statum salutis, non possit sequestrari. Minorem *Matthæus* probat *cap. 11. v. 28.* Ubi urgemus 1. causam refectionis, potestatem Christi, cum ipsi omnia sint tradita, *vers. 27.* ut hinc nostræ salutis ratio consistat in veniendo ad Christum, ubi Christus est ipsa via, *Job: 14. .6.* Ipsum ostium, quo ingrediamur Ecclesiam & societatem sanctorum, ipse Dominus, qui nō possit tantum, sed velit quoque liberalissimè suam nobis conferre opem. Unde ad se jubet venire, non passibus corporis, sed affectibus, sed suspiriis & desideriiis, non virtute liberi arbitrii, sed verâ fide. 2. Voces *κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι*, laborantes & onerati. Nemo verò hominum est, qui non sit ex horum censu, *Rom. 3. v. 12.* Ergo jubet universos & singulos venire, jubet venire juxta Augustinum, *laborantes & oneratos*, id est, Judæos, legis operatione fatigatos, & gentiles, peccatorum onere pressos: juxta Hilarium, quosvis difficultatibus legis laborantes & peccatis seculi oneratos. 3. Urgemus expressam universalitatis notam, *omnes*, quod cum sit universale signum, nullum singulare excludendum erit.

Excipiunt contra *Piscator in hunc locum*, *Beza in resp. 2. ad acta colloq. Mumpel pag. 149.* *Wendelinus tract. de Præd. p. 87.* *Massonius tom. 1. p. 285.* 1. Universalitatem esse restringendam ad solos electos & fideles, sentientes onus peccati, & plenâ liberationis spe ad Christum confugientes. Promittere itaq; Christum refectionem reprobis, si veniant, si credant, si ob peccata doleant. 2. Ut *Beza* obtineat sensum de fidelibus ob peccata dolentibus, urget vocem *κοπιῶν* plus esse quàm *πονεῖν*: illud enim significare fatigatum esse, hoc verò nudè laborare.

Sed *Respondemus.* 1. Claram esse literam, Deum vocare homines non sicut veniant, sed ut veniant. 2. Vocari oneratos: multos verò esse oneratos, qui onus non sentiant, *Job. 9. v. 41.*
3. Chri-

3. Christum velle etiam reficere eos, qui recusant venire, *Prov.* 1. v. 24. *Esa.* 65. v. 11. 4. Textus coherentia probat, omnes hic vocari, etiam quibus propriam culpam Evangelium est odor mortis, 2. *Cor.* 2. v. 16. 5. Absurdum sequi & ταυτολογία, si τὸ venire exponendum esset per τὸ credere, sicut id etiam alioqui veterum interpretati sunt, citante *Thoma in Aurea Cat. col. 254.* *August.* 1. 1. ad *Bonifac.* c. 3. Sensus enim esset, Credite in me, qui creditis. 6. Dictum non pertineret ad electos, sub iram adhuc constitutos, non ad Saulum, *Act.* 9. non ad Augustinum Manichæum, non ad infantes, qui ex hypothese Calviniana non credunt. Ultimo 7. Deum faceret empætam, ut qui omnes vocaret, paucos verò vellet venire.

§ 7. *Tertium.* Quoscunq; Deus æquè vocat, omnibus æquè offerendo gratiam & remissionem peccatorum omniaque bona, eo fine, ut actu iis fruatur, illos Deus omnes vult salvos, nec alio hos, alio illos fine invitat. Sed omnes omnino homines ita vocat. Ergò. Minorem 1. Lucas probat *cap.* 24. v. 47. ubi ait, remissionem prædicari in omnes gentes. Cum quo consentit Marcus *cap.* 16. v. 15. *Matth.* c. 4. v. 17. & *cap.* 18. v. 19. , ut quantum sit in ipso Deo, omnia ab ipso conferantur, nihilq; restet, nisi ut acceptentur ab omnibus oblata beneficia. 2. *Matthæus cap.* 22. v. 4. ex parabolâ mittentis Regis servos, invitatum hospites ad epulas, & *Esa.* 55. v. 1. ubi Deus sitientes invitat ad aquas, ut comedant & ut bibant, id est, ut actu fruatur.

Ad prius dictum *Luc.* 24. v. 47. excipit *Wendelinus* dicto loco, 1. *Non imperare DEUM conversionem eo fine ut faciant, quod non facturos præscivit ab aeterno.* Sed petit principium, cum 1. hæc oblatio non sit nuda imperatio, sed conjuncta cum gratiâ, ut imperata possint exequi, si velint; ut Deus ita sit excusatus, & damnationis culpa apud solos homines reseat. 2. Absurdus est *Wendelinus*, qui sentit non in hunc finem promulgari remissionem peccatorum & gratiam Dei, ut homines arriperent eam, sequeretur enim esse contrariam sibi voluntatem Dei: DEUM aliud loqui, aliud sentire,

2. *Pro-*

2. Prædicari remissionem peccatorum cum impossibili conditione fidei. R. Spondemus 1. Sit licet fides impossibilis *ratione virium humanarum*, & homo merè passivè sese habeat in ordine ad fidem, imò ipsa fides sit passio humani cordis: possibilis tamen est *respectu DEI*, qui libenter vult fidem operari in quolibet humano corde, *non reluctante*, citra omnem concursum virium humanarum cooperantium. 2. DEUM non scribere impossibiles condiciones in negotio conversionis; nam impossibiles condiciones sancire, est illudere, quod de DEO dicere horret animus.

Ad locum *Esa. 55. v. 1.* excipit pag. 88. 1. Non omnes promiscuè vocari, sed sitientes, id est, tantum pressos conscientia suæ ariditatis, isthæc beneficia seriò expetere, quales tamen non sint reprobi. 2. Si vel maximè vocentur reprobi, non tamen concedi posse, finem vocationis hîc exprimi, sed objectum duntaxat: scilicet ipsos venire debere ad epulas.

Respondemus ad prius. 1. Sitientes h. l. vocari, non qui beneficia ad salutem facientia expetant, (hi enim vocationi jam paruerunt, cum velle in ipsis Spiritus Sanctus sit jam operatus) sed eos, qui iram Dei super peccata sentiant, licet non omninò nesciant Spiritualia beneficia, in quâ sorte non pauci sunt reprobi: Cain, *Gen. 4. v. 13.* Judas, *Matth. 27. v. 4.* Gentiles, *ad Rom. 2. v. 16.* omnes deniq; desperabundi, ut hinc aliquos reprobos vocari oporteat, cum inferatur inde, non ideò non vocari reprobos, quod non sint in electorum sorte, & consequenter, parem esse conditionem tam electorum quam reproborum. 2. Non modo sitientes, sed omnes laborantes vocari, licet onus non sentiant: & hinc omnes vocari homines. Ad posterius respondemus, esse petitionem principii, sicut & supra responsum fuit.

§ 8. *Quartum.* Si Christus voluit congregare Judæos, ut gallina pullos, sequitur, quod ipsos voluerit congregare seriò, & animo planè paterno, ut tuti essent contra venturam iram. Ratio connexionis est, quia gallina ob miram suam *Φιλοσοφίαν*, quam eleganter describit *August: l. 1. quæst. Ev. c. 36.* & *Bernb: serm. 4.*

Serm. 4. super Psal. 91. pullos suos congregat serio, & animo planè materno, ut tuti sint adversus omnes injurias. Phrasi enim, congregatione sub alas, præsentissimum describi auxilium, patet è collatione locorum, Psal. 17. v. 8. & Psal. 91. v. 3. Ratio antecedentis defumitur ex verbis Christi, Matth. 23. v. 37.

At Calviniani hic excipiunt, 1. Piscator in hunc locum contra remonstrantes in collat. Hag. & Beza in respons. secundâ ad coll: Mump. p. 171. Christum voluntate humanâ salutem Judæorum voluisse, rebellium quoq; , cum juxta hanc nescierit, quinam fuerint convertendi: At juxta voluntatem divinam Judæorum salutem noluisse: aliâs fuissent conversi & congregati. 2. Marcus Wendelinus excipit lib. d. p. 88. Christum id tantum subindicare, se vocando monstrasse Judæis viam, quâ adversus imminentes injurias potuissent esse tuti, si vocantem audissent. 3. Excipiunt Embdani in Synod: Dordrecht: part. 1. pag. 738. & Drenthani part. 2. pag. 340. & 341. Christum loquentem de voluntate signi, non verò beneplaciti, & Embdani adhuc tumultuantur pag. 749. Christum loqui de vocatione externâ, non internâ, id quod Steinius quoq; asserit part. 3. der Brüderschafft. p. 116.

Sed I. Respondemus Beza & Piscatori, 1. Ita dubitari de omnibus Christi promissionibus, cum dubium sit, an voluntate divinâ an humanâ promiserit. Nam juxta hypothesein hanc Calvinianam inefficax est ea promissio, quæ profluxit ex voluntate humanâ, Efficax verò tantum ea, quæ ex divinâ. Deindè 2. non posset carere Christus labe peccati, si humana eius dissentiret à divinâ volûrate, quicquid enim ab hâc dissentit, peccatum est. Hinc orare jubemur; fiat voluntas tua, Matt. 6. v. 10. 3. Christum juxta utramq; voluntatem Judæorum voluisse salutem, probamus inde, quia Christus in officio suo omnia dixit, docuit, voluit, ad nutum Patris, Job: 5. v. 30. c. 8. v. 26. c. 14. v. 24. 4. Causa falsa est, quâ Christus dicitur voluntate humanâ voluisse salutem Judæorum, noluisse verò divinâ, quod enim Christus homo sciverit, qui in ipsum sint credituri, docetur Job. 1. v. 24. & cap. 17. v. 6. 7. 8.

D

II. Re-

II. Respondemus *Wendelino*, 1. *Drum* ita negasse, re & facto, quod verbis affirmavit, si vocando voluerit Judæis viam ostendere, per quam tuti esse possint, sub hac conditione, si vocantem audissent, hac conditio verò sit impossibilis. Id ipse *Wendelinus* testatur, quando scribit pag:87. *Quod DEUS promittit sub conditione impossibili, idem est, ac si neget.* 2. Non tantum monstravit viam, quâ possint esse tuti, si confugerent ad Christum, quod sine gratiâ & cultu fuisset impossibile; sed ipse *vocando congregare voluit*, id est, Judæos per verbum ad se trahere, ut revera facta fuisset congregatio, nisi *nolendo*, seu præfractâ contumaciâ, reluctati essent.

III. Respondemus 1. *Embdanis & Drenthanis*, Christum non loqui de voluntate tantum *signi*, sed & *beneplaciti*; sequeretur enim Scripturam esse falsum signum divinæ voluntatis, si voluntas beneplaciti voluntati in sacris literis signatæ contrariaretur. Deinde 2. Christum loqui de tali voluntate, ob cuius transgressionem Judæi facti sunt rei damnationis æternæ, & temporalis: Ergo ista voluntas fuit seria & beneplaciti. *Steinio* respondemus, 1. Vocationem internam ab externâ ex parte Dei, non posse esse distinctam, ut supra evictum cap. 3. 2. *Congregationem* hanc opponi *disgregationi*, *Job. 11. v. 52.* ut sicuti Diabolus peccato Adami omnes homines disgregavit, & imagine Dei privavit; ita Christus Judæos, & omnes homines, verè iterum congregare, reficere & beare voluerit, sicut ait *Job. 5. r. 37. & 40.* 3. Istam *congregationem* respicere nostras aberrationes & deviationes, *Esa. 53. v. 6.* Sicuti jam Judæi & omnes homines verè deerrarunt & deviarunt, non *speciatenus* tantum; sic Christus omnes iterum verè congregare & in viam reducere desideravit.

§ 9. *Quintum.* Si Deus compellit vocatos ad suas epulas, si etiam contemtores vocationis punit, sequitur quod eius vocatio fuerit seria. *Ratio connexionis*, quia *compulsus* iste est manifestatio intentionis non leviter conceptæ, sed conjunctæ cum magno desiderio pertrahendi invitatos ad perfruitionem illius, ad quod fuerunt invitati. *Deinde* pœnæ seriam voluntatem.

tem.

tem legis arguunt, ubiq; & in humanis & in divinis. *Ratio antecedentis* sumitur ex *Lucâ cap. 14. v. 23.* & *Matthæo cap. 22. v. 7.* Ad istius argumenti (quod ex *Luc. 14. v. 23.* desumimus) *majorem*, excipit *Wendelinus pag. 89. inde tantum inferri, vocationem esse seriam, non tamen eo sine factam, ut omnes invitati ingrediuntur.* Respondemus, esse contradictionem in adjecto. Nam si seria est vocatio, quod concedit *Wendelinus*, exinde serio intendit Deus omnium ingressum, nisi idem simul sit & non sit. Ad *minorem* excipit, in parabolâ Christi, *Ecclesiâ significari per domum, non regnum cælorum.* Respondemus, firmiter tamen colligi, quia ingressus in Ecclesiam fiat per fidem, ad *Heb. 5. v. 6.* Compelli quosvis ad fidem & spiritualem cum Christo conjunctionem: cum Deus neminem vocet ad Ecclesiam, nisi eundem etiam vocet ad *Regnum Cælorum.*

Ad argumentum dicti *Matth. 22. v. 7.* Excipit *Wendelinus p. 90.* Reprobos justè puniri ob contemptum promissionum fidelibus factarum, licet ad ipsos infideles pertinaces non pertineant, ut justè Deus punit Satanam, ob contemptum meritâ Christi, licet meritum Christi ad ipsum non pertineat. Respondemus, ambiguitatem esse in voce *contemptus.* Contemnere enim vel significat *rem divinam vanam & nudam judicare,* & sic contemnere dicuntur ii beneficia Dei, quæ ad ipsos non pertineant, sic Satan potest contemnere meritum Christi: Sic si quis profanus leges Ceremoniales Veteris T. mactationem, libationem, vellet contemnere, tanquam rem nullam: Vel *contemnere est oblatum beneficium recusare & nolle acceptare,* ita mendicus potest contemnere eleemosynam. Et in hoc posteriori sensu nemo dicitur spernere, nisi ea, quæ ad ipsum maxime faciant; in quo sensu etiam in hâc causâ à nobis sumitur. Quia verò Deus punit contemptores eiusmodi, sequitur, paratas ipsis fuisse nuptiales epulas Domini gratiâ, & æternas dapes, quas recusando, & tanquam ad se nihil facientes spernendo, detrectaverant.

§ 10. His ergo moti argumentis, missis aliis omnibus, firmiter concludimus, DEUM vocatione suâ serio intendisse

omnium hominum salutem, Et exclamamus cum Bernharde *serm. 1. in parif. Maria*: In communi posita est Dei misericordia: Nemo illius expertus est, nisi qui renuit: omnes enim salvari cupit.

CAPUT QUINTUM.

De Vocationis Efficaciâ.

Vocatio hominum ex parte DEI semper est efficax: licet ex parte hominum, ob eorum repugnantiam, possit fieri inefficax. Nam gratia Dei in homine non est irresistibilis, sed resistibilis.

V. D. Meiss.
in Anthropo-
logia. dec. 1.
quest. 3. 1b. 33.
seq.

V. D. Eyid.
Munn. loco de
Predestina-
tione. p. 253.
seq.

§ 1. Non præterimus distinctionem inter vocationem & conversionem hominum ordinariam & extraordinariam seu miraculosam. Hanc Orthodoxi aliqui Theologi etiâ concedunt fieri per gratiam efficacem, infallibiliter & semper: hæc enim gratiâ vocari hominem, ut quasi necessariâ voluntate & voluntariâ necessitate convertatur. Hanc semper esse efficacem, non modò ex Dei, sed etiam hominum parte. Exempla talis vocationis proferunt in conversione Abrahami idololatæ, *Jos. 24. v. 1. & 3.* Sauli, *Act. 9. v. 1. & seq.* Latronis, *Luc. 23. v. 14.* & hujus gratiæ genera ad voluntatem DEI occultam referri debere largiuntur; Ut hinc non tam mirari quàm mirari debeamus cum Paulo, & dicere: *Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperrefigabiles viæ ejus! Rom. 11. v. 33.* Sed nos hic ordinariæ gratiæ rationes excutimus, superfedentes de Extraordinariâ dicere.

§ 2. Thesis itaq; nostra tantum de vocatione ordinariâ loquitur: quare scilicet verbum non eundem acquirat effectum, *Matth. 13. v. 4.* Convenimus ergo cum Reformatis, verbum non aliunde suam habere virtutem, quàm à DEO, ut quandoquæ; verbum sit efficax, illud sit à DEO, utente verbo tan-

quam

quam medio: homine ad efficaciam nil conferente. Quæritur tamen: *An sit à DEO virtutem non addente verbo, ut illud in plerorumq; auribus & cordibus suo effectum caveat?*

§ 3. Nos ita sentimus, vocationem dici *efficacem* & *inefficacem* duplici modo, 1. *ex causa*, 2. *ex effectu*.

§ 4. *Efficax* dicitur vocatio *ex causa*, cum verbum habet vim producendi effectum fidei & conversionis: *ex effectu*, quando causa, virtute fidem producendi instructa, obstaculis non impediens effectum producit.

§ 5. *Inefficax ratione causa* est vocatio, quando verbum à vocante vim convertendi non habet, nec ob defectum in agente non sequitur effectus. *Inefficax ratione effectus* dicitur vocatio, quando causa sufficienter quidem instructa, non satis ob impedimenta est efficacax.

§ 6. Agnoscimus ergo, posse esse *verbum inefficax ratione effectus*, Sicut illud patet ex Act. 7. v. 54. : *non ratione causa*: hic enim gratia vocationis sufficiens & efficacax est, Esa. 5. v. 3. & 4. Matth. 23. v. 37. Rom. 2. v. 4. Apoc. 3. v. 20. Etenim opposita non habent eandem causam. Sol causa est lucis, sed quod non illuminentur cæci, aut oculos comprimentes, Solis culpa non est. Ita Deo non potest tribui, quod efficacax verbi sese in omnibus non exerat, ut convertantur & salventur, licet efficacax ab ipso Solo dependeat: nam possunt esse impedimenta; præsertim prava dispositio subjecti, non admittentis efficacem operationem.

§ 7. *Ac Calviniani nostri & efficaciam & inefficaciam DEO tribuunt.* Calvinus instit. l. 3. c. 24. § 2 & 8. Komed. de prædest. c. 14. p. 597. l. 2. de redempt. human. c. 6. p. 169. Beza resp. 2. ad acta coll. Mumpel: p. 95. & 173. Pareus castig. l. 1. Bellarm. de gratiâ c. 2. pag. 46. quam sententiam evertimus hisce argumentis.

§ 8. *Primum argumentum esto, quod hæc Calvinianorum sententia non probetur verbo DEI.* Probamus isthoc, remotione triplicis fundamenti, quo nituntur Calvinista.

§ 9. *Primum fundamentum desumunt ab eiusmodi pro-*

D 3

nunciatio-

nunciatis, quæ videntur efficacem & inefficacem dicere voca-
tionem, ob Dei propositum, ut *Matth. 11. v. 25. Rom. 8. v. 28.*
Sed respondemus ad dictum *Matth. 11. v. 25.* 1. Per voces
σοφῶν & σοφῶν non intelligi generaliter & absolutè sic dictos
sapientes, qualis erat David, Salomon, Prophetæ, Paulus, Ni-
codemus, Josephus Arimathiensis, hi enim salvati sunt; sed li-
mitatè σοφῶς καὶ σοφῶς κατὰ σαρκά, ut Apostolus restringit
1. Cor. 1. v. 26. ubi vox σαρκῶς non notat naturalem sapientiam
per se consideratam, (cum hæc, quia donum Dei est, laudabi-
lis sit) sed eam, quæ limites excedit, & perverso impetu sese
Dei verbo opponit, unde sunt Empæctæ & Luciani, qui Chri-
stum è sublimi loquentem audire non sustinent, ut commen-
tatur *Calvinianus Marloratus* in hunc locum *1. Cor. 1. v. 18.* quo-
rum sapientia dicitur *Φρόνημα τῆς σαρκῶς, ad Rom. 8. v. 6. σο-
φίας τῶν αἰῶν ὁ τῆς, 1. Cor. 2. v. 6.* quam Deus vult confunde-
re, *1. Cor. 1. v. 19.* His verè opponuntur *νήπιοι*, per quos intelli-
guntur non tam ætate quàm animo puerili & simplicitales.
Varinus: νήπιοι sunt, μὴ κατὰ βαθείας σύνεσιν γινόμενοι. LXX.
ubi sunt hoc vocabulo, quando voluerunt reddere Hebræum
 יִשְׂרָאֵל quod simplicem ac credulum notat: Eos ergo Christus hoc
loco vocat *νήπιοις*, qui captivant intellectum, *2. Cor. 10. v. 15.*
qui sunt stulti, ut sint sapientes, non quidem stultâ credulitatè
& crassâ ignorantia, *1. Cor. 14. v. 20.* aut puerili inconstantia,
Eph. 4. v. 14. sed piâ simplicitate, & prompto affectu credendi
verbis Dei, etiamsi rationi videantur esse stulta. Tales omnes
fuerunt Apostoli, *Matth. 10. v. 5.* LXX discipuli, *Luc. 10. v. 1. 9.*
& 17. qui Christo viam præparare debebant, & felicem able-
gationis eventum renuntiarent, quod è laicis multi sunt con-
versi, licet Principes Christum non sint confessi. Hinc Chri-
stus persolvit Patri gratias, *Matth. 11. v. 25.* Agit ergo 1. de
Evangelii præconibus, quos Christo placuit, non ex Pharisæo-
rum sapientum ordine desumere, sed ex idiotis, ut ostende-
ret, regnum Christi consistere *ὅτι δὲ πρὸς τὴν πνεύματι,*
1. Cor. 2. v. 4. 2. Agit de Evangelii objecto seu auditoribus,
qui malitiosâ innocentia obicem Spiritui sancto non ponant.
Nam

Nam Pater Phariseis quoque proposuit Evangelium, sed illi dilexerunt tenebras, *Job. 3. v. 19. Luc. 7. v. 30. 1. Cor. 1. v. 21.* Hinc iusto iudicio DEUS contempnum vindicans abscondit ipsis sua mysteria. Non agit 3. de prædestinatione; non de electis ad salutem, intuitu finalis fidei. Aliàs enim & Judas electorum numero includendus esset, & Nicolaus hæreticus, quem Patres, si plerisq; credimus, existimant fuisse unum ex septem Diaconis, quos ex septuaginta discipulis elegerint Apostoli, vide Irenæum *lib. 1. c. 27.* Eusebium *l. 3. hist. Ecclesiast. c. 29.* Impertinenter itaque allegatur locus à nostris adversariis, cum inefficiam verbi, ut verbi, non demonstraret, quam tamen debebat, ex ipsorum hypothese, ostendere.

Ad dictum *Rom. 8. v. 28.* respondemus, posse concedi, quosdam *vocari secundum propositum*, quosdam *præter propositum DEI*, sed hoc non DEI invidia, verum hominum culpâ. Nam, ut supra demonstravimus, DEI intentio & propositum est, velle omnes vocare, ut salvi fierent, *1. Tim. 2. v. 4. Act. 17. v. 30.* Hinc κατὰ πρόθεσιν, seu juxta propositum vocantur ii, in quibus verbum fidem & conversionem operatur; ἄλλοι δὲ κατὰ πρόθεσιν, seu præter propositum vocantur, quando conversio in aliquibus non sequitur ad vocationem eorum. Perinde enim ut Pastor ait: se juxta propositum docuisse, si obediens habeat doctrinæ: præter propositum, si negligens: ita DEUS quoque dicitur vocasse. Hinc Adversarii principium petunt, qui causam *vocationis*, quæ fit præter propositum adscribunt ipsi proposito, quæ adscribenda erat hominibus vocationem suscipiendisq; habentibus.

§ 10. Secundum fundamentum desumunt ab *illis sententiis*, quibus *vocatio DEI dicitur esse efficax per operationem DEI*, *Matth. 11 v. 27. & Job. 6 v. 10.* Sed respondemus ad dictum *Matth. 11. v. 27. 1.* Confundi quæstionis statum. Aliud enim est querere, an verbum per operationem Dei sit efficax, quod nemo negat; aliud est, an verbum per operationem Dei sit inefficax, quod omninò negamus. Nam licet Spiritus Dei asserat, sese operari conversionem in hominibus, *Eph. 1. v. 18. & 19. Col. 2.*



Col. 2. v. 12. § 13. is tamen nihilominus monet, ita hanc effecti-
 potentiam suam in hominum conversione, ut homo efficaciam
 operationis Dei obicem possit ponere, Act. 7. v. 51. § cap. 13.
 v. 48. 2. Nemo patrem novit, nisi cui Filius vult revelare. Sed
 omnibus vult revelare, & quantum in ipso est revelat, licet mul-
 ti aures obdurent & revelationem negligent. Sic fides dicitur
 donum DEI & opus DEI, Job. 6. v. 29. tantum cum exclusione
 virtutum humanarum & liberi arbitrii, in ordine ad accendendam
 fidem in nostris cordibus. Non tamen exinde denegatur pos-
 sibilis nostra reluctantia adversus Deum, dum operatur fidem.

§ 11. Tertium fundamentum ab exemplis desumunt, in-
 durati Pharaonis, Exod. 7. v. 4. Judæorum induratorum, Esa. 6.
 v. 9. § 10. Nos ad hæc exempla, cum à magnis Theologis fa-
 ctis sit responsum, Tom. 2. Gerhardi p. 153. aliisque, paucissimis
 respondemus, fallaciam causæ esse in argumento, si ab indu-
 ratione Pharaonis & Judæorum, ad verbum & miracula Dei
 facta, velimus argumentari ad ipsum per se verbum, virtute
 indurandi instructum: cum procedat hæc consequentia ab
 eo, quod est *per accidens*, ad illud quod est *per se*. Nam
 verbum illuminat per se, odorque vitæ est, excæcat verò per
 accidens, non de *naturæ causæ agentis*, se à *conditione subjecti*
pestimè dispositi: perindè ut Sol, alioqui lucidus, illuminare
 non potest vesperilionis oculos. Hoc de verbo Dei quoque
 non experientia modò, sed ipsa quoque Scriptura testatur,
 Eccles. 32. v. 19. Qui quaerit legem, replebitur ab eâ, & qui insi-
 diosè agit, scandalizabitur, seu deterior reddetur ab eâ. Vid.
 Esa. 28. v. 13. cap. 42. v. 20. cap. 53. v. 1. Jer. 44. v. 17. Ezech. 33.
 v. 31. § 32. Excæcatio itaque & induratio non tribuitur Deo,
 ob ejus intentionem & propositum: non verbo, ob ejus inef-
 ficaciam ad generandam fidem, sed hominum pravitati, quæ
 facit, ut virtus verbi Dei per se illuminans, per accidens excæ-
 cet: per se emolliens corda, per accidens induret. Probavi-
 mus ergò, verbi inefficaciam, ut verbi, ex Scripturâ demonstra-
 ri non posse.

§ 12. Tum aliud damus argumentum, falsum esse ineffi-
 caciam

caciam verbi DEO velle tribuere, cum hæc sententia *incredulos* in divino iudicio reddat excusabiles. Nam hæc sententia culpam incredulitatis in DEUM transfert, ac si is, qui beneficium fidei verbo promiserit, atq; inde homines vocarit, ipse tamen sua non servet promissa: humanarum quippè virium non est, fidem in corde humano incendere. Unde sequeretur, DEUM neminem posse damnare, cum omnes sint inexcusabiles: innocentem verò damnare, injustissimi iudicis est, quod de DEO vel sentire, horret animus.

§ 13. Inexcusabiles autem fiunt homines duplici modo, 1. *ex peccato*, cujus quia omnes rei, nemo sese eo nomine potest excusare, *Psal. 51. v. 7.* 2. *ex incredulitate*, de quâ Salvator ait, Qui credit in Filium, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen Filii Dei, *Job. 3. v. 18.* & hoc quidem nomine gentiles quoq; inexcusabiles dicit esse Apostolus, quibus indita fuit Dei notitia, ut eâ excitati, ulteriorem sibi quærerent notitiam, *Rom. 1. v. 20. & 21.* Ut ergò priori modo omnes homines sunt inexcusabiles, sic posteriore soli damnandi, qui æterno igni adjudicantur, quod non crediderint.

§ 14. Hinc Argumentum: Quodeunq; dogma causam incredulitatis à damnandis removet, illud damnandos reddit excusabiles. Sed Calvinianorum hoc dogma istud facit. Ergo. Atque exindè hoc ipsum dogma est damnandum.

§ 15. Unde patet resistibilem esse gratiam DEI Ordinariam, non *irresistibilem*, quam *Belgæ Calviniani* voluerunt ab *Armenianis* credi, malè tamen. Et hanc ipsam urgent *Piscator in notis ad amicam coll. Vorst. sect. 24.* *Pareus in cap. 11. l. 1. de grat. contra Bellarm.* *Wetteravi in act. Synod. Dordra: p. 710.* *Hafsi pag. 710.* *Molinaus* vocat eam insuperabilem in *anat. c. 46. §. 1.* inevitabilem *c. 43. §. 315.* *Jacobus Revius* contra *Mathisium*, potentiam omnipotentem. Vide *Rev: Hülsemannum in disput. 1. de gratia DEI, c. 2. §. 22.*

§ 16. Urgent verò Calviniani pro irresistibilitate conversionis, 1. *ea loca, in quibus conversio soli DEO adscribitur, ut*

E

in

in homine nihil sit, quod ad istam conferat, qualia sunt *Jerem. 31. v. 18. Toren. 5. v. 21. Cant. 1. v. 4.* Sic ea loca, in quibus homo, dicitur mortuus, ad *Eph. 2. v. 1.* cœcus, *Luc. 4. v. 18.* ex seipso tanquam ex seipso, nihil posse. Sed respondemus 1. in genere, nihil aliud ex istis locis inferri, quàm quod conversio sit à solo DEO, homine nihil ad eandem conferente. Velle verò exinde inferre, quod homo non magis quàm truncus aut lapis sui conversionem impedire possit, justo liberalior est illatio: cum conversio sit hypothetica, & ordinata quasi, ad auditionem verbi, *Rom. 1. v. 16.* quæ tamen est in potestate hominis: sicut patet, tum dictis *Amos 8. v. 11. 2. Tim. 3. v. 7. ad Rom. 11. v. 7. Job. 5. v. 38.* tum exemplis, Herodis, *Marc. 6. v. 20.* Sergii proconsulis, *Act. 13. v. 7.* 2. In specie respondemus ad loca, *Jer. 31. v. 18.* Istum locum esse impertinentem, cum loquatur de liberatione Ephraim ex misero & afflicto statu; unde spondet Ephraim, se poenitentiam acturum, sicut David, *Psal. 119. v. 34.* Redime me ab oppressione hominum, ut servem mandata tua. Collocutores Hagienses illud *converte me*, accipiunt pro castigame: sed interpretatio ea est tantum possibilis, non necessaria. Nisi dicatur afflictiones hic peti non tam propter ipsas, quàm propter fructum ipsarum, sicut pii dicuntur gloriari afflictionibus, *Rom. 5.* Idem sentire licet de loco *Toren. 5. v. 21.* nimirum, agere istum de liberatione Israelis ex Captivitate Babilonicâ & reversione ad DEUM, & domum Dei, quæ in Hierusalem erat. Cui sententiæ accedit Junius in notis. Neque *Tractus* ille, de quo *Cant. 1. v. 4.* violentus est & absolutus, omniumq; Impedimentorum expers, sed qualis describitur *Job. 6. v. 44.* qui dicit defectum omnium virium in tracto, & gratiam trahentis, indeq; ortum beneficium omni ope destituti præstitum; qui tractus præsupponit tantum non-reluctantiam in tracto; & affert subsequium tracti. Nec vim habet argumentum, quod desumunt ex *Eph. 2. v. 5.* Ubi homo non renatus dicitur *mortuus in peccatis*, ut hinc inferre liceat, hominem non renatum, sui conversionem nec promovere nec impedire posse. Etenim respondeo, Hominem non rena-

31.

tum similem esse homini naturaliter mortuo in hoc, quod sicut mortui non possunt naturali virtute in vitam redire: ita homo non renatus nequeat sese ad bonum spirituale convertere. Licet enim homo non renatus in actionibus naturalibus, & civilibus, idem possit quod renatus: in Spiritualibus tamen impotens est: & licet in Spiritualibus actionibus de iis rebus, quæ ad DEUM spectant (sunt enim hæ actiones spirituales de rebus, quæ vel ad DEUM pertinent, qualis est cognitio DEI & obedientia legis divinæ, vel ad salutem nostram, ut fides, assensus verbi divini, fiducia, constantia in bono, & quæ sunt his similia alia) etiam aliquid non renato sit residui, ut quod sciat esse DEUM, eumq; colendum esse, Rom. 1. v. 19. esse iustè castèq; vivendum: tamen hæc omnia languida & imperfecta sunt; nec conferenda studia bonorum operum in non renatis cum studio bonorum operum in renatis, quia persona nec reconciliata est DEO, nec ad gloriam DEI operatur. In Spiritualibus tamen actionibus de iis rebus, quæ ad salutem faciunt, totus homo mortuus est, qui neque assentiri verbo neq; credere potest, ut omnia relinquenda sint gratiæ DEI. Ut hinc Apostolus intelligat ultimam speciem actionum spiritualium, quæ ad salutem faciant, quando hominem appellat mortuum: eo sensu vocatur tenebræ, Matth. 6. v. 23. & à se nihil posse, 2. Cor. 3. v. 5. Sed in hoc differt homo spiritualiter mortuus à naturaliter mortuo, quod homo naturaliter mortuus nec facultatem habeat cooperandi DEO, nec reluctandi: at qui spiritualiter mortuus est, licet non possit cooperari DEO conversionem molienti, attamen DEO potest resistere, non tantum contra naturæ malitia, Rom. 8. v. 7. sed & actuali pervicaciâ, Act. 7. v. 54. Deinde homo naturaliter mortuus planè truncus est & ineptus ad quasvis actiones, at homo spiritualiter mortuus potest locomotivam regere, verbum DEI audire, legere, meditari, quæ sunt media, quibus utitur Spiritus DEI in fide generandâ, Rom. 9. v. 14.

§ 17. Tum urgent dicta, quæ DEO circa conversionem hominis tales ascribunt actiones, quibus convertendus non potest resistere.

resistere, ut quando Deus dicitur *creare* & *dare cor novum*, Ezech. 36. v. 25. *regenerare*, 1. Pet. 1. v. 3. Sed respondeo 1. *in genere*, sit licet potentia, quæ conversionem procurat, omnem finitam superans, *Eph. 1. v. 18.* homo tamen efficaciam obicem potest ponere, *Act. 7. v. 51.* 2. *In specie*, creationem & regenerationem non dicere aliquam immutationem substantiæ, sed qualitatum, *Psal. 51. v. 11.* cum datio novi cordis carnei fiat per emollitionem prioris lapidei. Deinde promissiones istæ sunt *conditionales*, ut patet ex collatione verborum, *Ezech. c. 11. v. 19.* & *cap. 18. v. 19. 20. 21.* & similes promissiones divinas de uno corde populo dando, de circumcidendo corde populi, *sub conditione fieri* patet *Deut. 29. v. 2. 3.* *Jer. 29. v. 10. 11.* & *cap. 24. v. 4. 5. 6.* *Lev. 26. v. 38. 39.*

§ 18. Ut hinc verè possimus concludere, resistibilem esse hanc Dei gratiam, quod præter omnia dicta, *Deut. 29. v. 4.* *Matth. 13. v. 36.* *Esa. 65. v. 2.* *Ezech. 12. v. 2.* *Esa. 63. v. 10.* *Ezech. 18. v. 31.* *Prov. 1. v. 24.* *Matth. 23. v. 37.* probat manifestissimum exemplum Judæorum rebellium adversus Spiritum Dei, *Act. 7. v. 51.* ubi improbi dicuntur *ἀντιπίπτεω*. Syrus habet: *רוקבל רוחא דקורשא קימין אנתון* quod hostilem in adversarium impetum & resistantiam notat, *Num. 27. v. 14.* ubi LXX *ἀντιπίπτεω*, vide *Esa. 31. v. 2.* *Psal. 54. v. 5.* *Deut. 28. v. 7. 2.* *Sam. 18. v. 31.* ubi stare seu surgere contra aliquem, est oppugnare &c. *ἀπωθεῖν*, *Act. 13. v. 46.* *ἀθεθεῖν τὴν βελὴν τῶ θεῶ*, Lucas dicit *cap. 7.* Unde concedunt nonnulli ex Calvinianis, veritate dicti, gratiæ Dei resisti posse, *Bremenses pag. 725.* *his modis gratiæ DEI resistere solent reprobi* &c. Ergo dant necessarium, non omnem resistendi modum esse denegandum.

CAPUT SEXTUM.

De objecto vocationis.

DEUS omnes homines vocat, sine discrimine loci, temporis, populorum, ætatis.

§. 1. Dis-

§ 1. Dissentiunt inter sese Calviniani. *Calvinus l. 3. instit. e. 14. §. 1.* externam vocationem dicit esse universalem, & communem probis & reprobis, sicut & *Beza responsione secunda ad acta colloquii Mumpel. p. 93. & 96.* Alii verò inficiantur, ut *Job. Jetzlerus l. de fructu mortis Dominicae per totum. Job. Crocius part. 2. convers. Prut. c. 13. Wendelinus tract. de predest. e. 3. & 7. idem in sua Theologia l. 1. c. 19 p. 311. & 312.* Nos primò *thesin declaramus.* Secundò *argumentis Scripturae probamus.* Tertiò *objecta removemus.*

§ 2. Declarationem theses introducimus. 1. *Status questionis legitimè formando.* 2. *Modos vocationis enumerando.*

§ 3. Primò, Ut status formetur, quæstio est de vocatione externâ & ratione principii semper efficaci. Removemus itaque 1. *fabulosas distinctiones vocationis externa & interna, efficaci & inefficaci, seriæ & simulate,* quæ supra elisæ sunt, ut hic sermo sit de seriâ, de externâ, quæ simul tamen interna sit, & efficaci vocatione. 2. Removemus ambiguitatem phraseos, & per vocationem intelligimus *omne monitum,* quo homo ad conversionem possit perducî, Calviniani verò solam externam intelligunt prædicationem verbi, quam ratione individuorum negant esse universalem. 3. Falsam putamus esse sententiam, sentire, neminem vocari, nisi in proprio suæ habitationis loco, cum ii quoque vocari possint, in quorum domibus prædicatione verbi non sonat. Nec 4. arbitramur vocationem absolvi *solenni tantum prædicatione verbi, aut missione alicujus Apostoli,* cum vocatio etiam fieri possit *per lectionem verbi aliorumvè Scriptorum utilium,* Ut ita status controversiæ sit, *An Deus ad salutem vocet omnes homines, sive verbo. sive famâ, ut efficaci tamen medio, per quod ad hereditatem cæli possint venire, nisi ipsi vocationi reluctentur.*

§ 4. Secundò. Ut veri vocationis modi considerentur, non arbitramur, uno modo vocari omnes, cum modus vocationis à vocatione ipsâ sit distinguendus, ut hinc ipsa vocatio ex se & suâ naturâ respectu divinæ gratiæ sit universalis, sed modus atq; ordo vocationis ac mensura gratiæ plurimum va-

rietur. *Prosser l. 2. de voc. gent. c. 3. August. l. 10. de civ. Dei. c. 22.*
 Ut enim inter homines vocatio varia est per immediatam vo-
 cem, per internuntios, per literas, per sibilum & nutum, sic
 DEUS quoque varios modos habet, satis tamen efficaces in se-
 se. Immediatè Abrahamum vocat, *Gen. 12. v. 1.* alios per Apo-
 stolos, Prophetas, *Matth. 22. v. 3.* Per sibilum vocat Regem As-
 syriorum, *Esa. 7. v. 18.* Per nutum & ostensionem objecti ama-
 bilis, ita vocat DEUS volucres ad vorandum carnes bello cæ-
 sorum, *Ezech. 39. v. 17.*

§ 5. Ne ergo jam agamus de invitatione per naturam,
 quæ licet per sese, ac immediatè, neminem adducat ad fidem,
 ingens tamen stimulus est ad inquirendum DEUM. Et cum na-
 tura sit vel singularis & cuius homini propria, vel universalis, quæ
 est toti huic mundano systemati communis, Utrâq; naturâ
 vocantur homines. Illâ quidem per opus legis, in cordibus in-
 scriptum, & dictamen conscientiæ, *ad Rom. 2. v. 15.* Ex quo
 gentes didicerunt, post hanc vitam æternam aliquam exspe-
 ctare, ligna & lapides potius colere, quam nullam habere
 DEUM; Quò sanè stimulo ad sinceriores vocati sunt religio-
 nem. Hæc verò, naturâ videlicet universali, vocantur per con-
 siderationem cœli & terræ & operum in iis, quibus DEUS suam
 benevolentiam hominibus declaravit, *Rom. 1. v. 19. Act. 14. v.*
16. 17. cap. 17. v. 26. Nec negare possunt Calviniani hunc vo-
 cationis modum, licet ipsum *insufficientem* appellent, *Beza*
resp. 2. ad acta Mumpel. p. 95. Perkinsus l. de predest. & gratia
Dei tom. 1. p. 148. Polanus syntag. tom. 2. l. 6. c. 32. Kimedon de præ-
dest. c. 14. p. 385. De nihilo verò est, quod *insufficientem* vocent,
cum non omnes possint ex ejus præscripto vivere. Nam 1. DEUS
 hunc præconem gentibus indidit, ut ipsum quærerent ac in-
 venirent, ergo potuerunt quærere. 2. DEUS indidit iis hunc
 præconem naturæ, ut sint inexcusabiles, at excusabiles forent,
 si nullo modo possent ex præscripto vivere. 3. Vires humanæ
 non omninò deficiunt in actibus externæ pædagogicæ, ut na-
 turalis homo inquirere possit, quid in hoc vel illo populo de
 Deo doceatur.

§ 6. Vocat 1. Per Ecclesie famam. Nota fuit Ecclesia in toto mundo, in terrâ Canaan, in Mesopotamiâ, in Ægypto, Gen. 12. v. 5. cap. 20. v. 1. cap. 26. v. 1. cap. 28. v. 5. in Babyloniâ, 2. Paralip. 32. v. 31. & miracula, quæ de servandâ Ecclesiâ à Deo facta sunt, non potuerunt non nota esse, ut hinc Ecclesia comparetur civitati in monte positæ, omnibus gentibus conspicuæ. Hinc Ethnici libros quoque sacros legerunt, quod in Platonis scriptis subindè licet animadvertere. Aristotelem religionem Judaicam scivisse, autor est Josephus l. 1. contra Appionem. Nec Cicero ignorare potuit mysterium redimendi humani generis, citat enim versum Sibyllæ Erithrææ:

Ἰησοῦς Χριστὸς Ἰησοῦς υἱὸς ὁμηροῦ σωτῆρς.

Cicero l. 2. de divinat. Suetonius in Vespasiano ait, percrebuisse tum famam, Judæum aliquem positurum esse rerum. Nec Plutarchus ignoravit Judæorum sacra, ridet enim ista lib. 4. quest. Huc facit, quod Hierosolyma in meditullio οὐρανίου fuerit posita, unde odor doctrinæ in gentes propagari potuit. Imò libri V. T. in Græcam linguam sunt conversi, jussu Ptolomæi Philadelphi, ut ab omnibus gentibus legi potuerint. Gentium itaq; culpa est, quod hanc de religione famam nihili fecerint, Huc pertinet querela Christi, Matth. 12. v. 42. Multi tamen etiam è gentibus quoque Ecclesiæ famâ fuerunt excitati ad inquirendum Deum, Act. 2. v. 5. unde & non-Judæi admittuntur ad Sacramentum agni Paschalis, Exod. 12. v. 48. ad offerenda sacrificia, 1. Reg. 8. v. 21.

LL. Tria fuerunt genera hominum in Ecclesiâ Judaicâ, 1. Ipsi Judæi. 2. Profelyti, qui non solum doctrinam Ecclesiæ Israeliticæ receperunt, sed & eiusdem usi sunt cum eâ ceremoniis ac legibus. 3. εὐλαβεῖς seu Religiosi, qui tantum doctrinæ professione, non verò ceremoniarum observatione Judæis fuerunt conjuncti. Profelyti verò & Religiosi è numero gentium venerant. Suidas.

§ 7. 2. Per prædicationem. Quæ tamen simul & lectio- nem includit. Fit autem hæc prædicatio, 1. vel in statu ordi- nario, per ministros verbi, vel in statu extraordinario, per quos- vis privatos homines, sicuti Bethlehemitæ per opiliones vocatâ fuerunt, Luc. 2. v. 17. Indi per Frumentium, referente Theodoro

Nonnulli huc referunt versum Virgilii, Ultima Cumæi venit jam carminis ætas Magnus ab integro seculo nascitur ordo Jam redit & virgo, redeunt saturnia regna,

Nist.



Hist. Ecclesl. 1. c. 23. alii per alios. 2. Instituitur prædicatio gemino modo, vel *directim* vel *obliquè*. Ille modus est jam auscultantium; hic parvulorum & posterorum. Ut enim decreta Imperatoris *directè* proponuntur imperii statibus, *obliquè* verò seu *indirectè*, oppidorum civibus eorundemq; posteris: ita etiam agit DEUS cum vocatione suâ, ubi eandem revelavit tribus distinctis vicibus, 1. Adamo & Evæ, *Gen. c. 3. & 4.* 2. Noacho eiusq; familiæ, *Gen. 9.* 3. dum prædicatione Apostolorum voluntatem suam omnibus manifestavit, ubi trina hæc manifestatio non pertinet tantum ad eos, ad quos *directè* facta est, sed & ad ipsorum posteros. Ita *Deut. 1. v. 6.* legem fert DEUS Israëlitis, quorum nullus visurus erat terram promissam, sed ad eosdem sic loquitur Moses, ac si isti, qui post revelationem legis nati essent, monti Sina & promulgationi legis adstissent. Hinc DEUS voluit revelationem legis posteritati mandare, *Deut. 4. v. 11.* & promittit, se fore DEUM Abrahami & seminis ejus. Hinc argumentum: Omne donum, quod non est merè personale, sed communicari potest posteris, non datur soli immediatè accipienti, sed etiam semini illius. Verbum divinæ vocationis, est donum non merè personale, sed communicabile posteritati. E. Verbum divinæ vocationis non datur solis immediatè accipientibus, sed & eorundem semini, liberis, nepotibus, posteris. Ergo hi omnes verbo vocationis, majoribus dato, vocantur.

§ 8. *Secundò*. Thesis nostram probamus brevissimè argumentis. 1. Quia DEUS verè & sincerè vocat omnes homines, eosdemq; vult salvos, *Esa. 55. v. 1.* *Matth. 11. v. 28.* *Marc. 16. v. 15.* *1. Tim. 2. v. 4.* 2. Quia Christus omnes redemit, *Esa. 53. v. 4.* *2. Cor. 5. v. 14.* *Heb. 2. v. 9.* 3. Quia Christus omnes vocari jubet, *Matth. 28. v. 19. & 20.* & ipse actu omnes vocat, *Matth. 11. v. 28.* *Luc. 14. v. 16.* 4. Mediis universalibus in vocatione utitur, ut universali naturâ famâ Ecclesiæ ubiq; notâ, universali prædicatione verbi. 5. Quia ob vocationis contentum omnes non comparentes punit, *Matth. 22. v. 8.* *Luc. 14. v. 24.* *Job. 3. v. 18.* Plura vide *Tom. 2. Gerhardi p. 173.* *Tom. 5. p. 623.*

p. 623. *Anthropologia Meisn. decade 2. disp. 3. quest. 2. Bruchm.*
Tom. 1. p. 586.

39.

§ 9. Tertiò, Quæ universalitati vocationis opponunt ad-
versarii, ad tres classes revocat Crocius, *part. 2. convers. Pruten.*
p. 408. Sunt enim 1. *Scriptura testimonia.* 2. *rationes.* 3. *exem-*
pla.

§ 10. Primò, Scripturæ testimonia hæc sunt potissima,
Joh 3. v. 8. Act. 13. v. 48. ad Rom. 9. v. 18. 2. Thess. 3. v. 2.

§ 11. Ad dictum *Joh. 3. v. 8.* respondemus, Spiritus ubi
vult spirat, id est, Spiritus S. regenerat quos vult, vult autem an-
tecedente voluntate omnes regenerare, nõ per *occultum & im-*
mediatum afflatum, sed per *certum ordinem*, per aquam Baptis-
mi & Spiritum verbi, *Joh. 3. v. 5. 1. Pet. 1. v. 23.* Ergo qui aquam
Baptismi spernit, Spiritui resistit, & Spiritus eum voluntate
consequente non vult regenerare. Non tamen exinde voca-
tio est particularis, quia causa sæpè agit, quam tamen, ut impe-
ditam, effectus non sequitur.

§ 12. Ad dictum *Act. 13. v. 48.* Crediderunt quotquot e-
rant ordinati ad vitam. Ubi ordinatio ad vitam videtur esse
causa vocationis; Respondent Theologi, 1. Non dicere
Lucam, quotquot erant *εργαζόμενοι*, ut absolutum aliquod
Dei decretum subinnuat, sed: quotquot erant *τεταγμένοι*. At
verò *τεταγμένοι* in Græcâ literaturâ sæpissimè notat aptum
& idoneum ad munus aliquod, & opponitur *ἀτάκτοι*. Nec
Scriptura discrimen *ἀτάκτων καὶ τεταγμένων* ignorat, quæ
ἀτάκτους vocat, qui ordinem à Deo præscriptum non servant,
1. Thess. 5. v. 14. 2. Thess. 3. v. 6. 7. 11. Contra *τεταγμένοι* vocantur,
qui ordinem servant & apti sunt ad bonum aliquod obtinen-
dum, à Deo oblatum. Sumta Metaphora à militibus, qui in
acie vel gaudent servare ordinem, vel minus. 2. Ex contextu
patet, quinam sint *ἀτάκτοι*, scilicet qui Dei sermonem repel-
lunt, *v. 43. 44. 45. 46. 47.* & qui *τεταγμένοι*, ii scilicet, qui verbū
Dei libenter & cum gaudio audiunt, *v. 48.* Falsò itaq; con-
cluditur à latitudine electionis, ad latitudinem vocationis,
cum *τεταγμένοι* crediderint, non quia absoluto Dei decreto

F

ordinati

ordinati erant ad vitam, sed quia verbum Dei, beneficio Dei cum gaudio audierant: Fides autem ex auditu, *Rom. 10. v. 17.*

§ 13. Ad dictum *Rom. 9. v. 18.* Cujus vult miseretur, & quem vult indurat: Respondemus 1. Misereri vult *antecedenter* omnium, *Rom. 11. v. 32.* Hinc omnes vocat: *consequenter* vult misereri fidelium, qui vocationi parent, *Matth. 22. v. 10.* Indurare vult *antecedenter* neminem, volens omnes venire ad poenitentiam, *2 Pet. 3. v. 9.* vult indurare *consequenter* praefratos verbi contemtores, *2 Thes. 2. v. 11.* 2. Valet ergo hic canon Hebraeorum, *Verba voluntatis frequenter non de simplici & nude voluntatis arbitrio accipienda esse, sed ita, ut causam & conditionem includant, qua aliunde declaranda.* E. g. *Dan. 4. v. 22.* Dicitur, Deus, cui vult, tradit regnum, vult autem dare humilibus, *v. 14.* Sic *Jer. 23. v. 5.* Et dedi eam, cui rectum fuit in oculis meis, *Unde gebe sie/wem ich wil.* Vatablus in notis: Optimo jure dare possum, cui libuerit mihi. Sic Deus, cujus vult, miseretur, adeo, cum omnes sint peccatores, nulli obstrictus est a priori ad misericordiam exhibendam, ut hinc immerito Judaei insurgant contra ipsum, ac si iniquus esset, eos rejiciendo, cum meram misericordiam omnium misereatur, quorum miseretur; miseretur vero ex certa promissione, cujus vult: cujus vero velit misereri, indicat Apostolus, continuans suam disputationem, *cap. 11. v. 22.* Sic, quem vult indurare, indurat: quem vero velit indurare, exemplum Pharaonis, nec non Judaeorum, de quibus agit, docet, quos veritatis ἀπὸ ὀνόματι fuisse hostes, καὶ αὐτὴν μαρτύρην τὴν ἰδίαν συνείδησιν, non opus est probare. Vide *Wellerum Tom. 1. Anat. Masson. p. 848. & seq.*

§ 14. Ad dictum *2 Thes. 3. v. 2.* facillima Responsio est, Concedendo fidem non esse omnium. Nemo enim tam stolidus est, qui putet, universalem vocationem generare fidem in omnium cordibus, cum nequitia hominum vocationi possit resistere, attamen ejus universalitatem non coarctare.

§ 15. Secundò. Rationes adducuntur potissimum *quatuor.* Prima à voluntate DEI immutabili. DEUS non confert omnibus fidem salvificam, actu & efficaciter, Ergò non vult omnibus conferre

41.

conferre efficaciter, omnia enim facit secundum consilium voluntatis suae, Eph. 1. v. 11. Psal. 33. v. 11. Crocius part. 2. Convers. Pruten. c. 13. p. 409. 410. Sed Respondemus, 1. Quaedam DEUM conferre per immediatam potentiam, & operationem non dependentem à causis mutabilibus, quomodo confert facultates naturales, peculiaris dona animi & corporis, in quibus homo nihil potest prohibere, Matth. 6. v. 27. cap. 5. v. 36. Atq; in his valet Major, Quae DEUS vult conferre, ea actu confert: Quaedam verò conferre per certum ordinem, in quo causae mutabiles occurrunt, quae impedire possunt, ut non conferantur, quae tamen DEUS conferre vult, ita felicitatem conferre vult DEUS, quae tamen saepe actu non confertur, Psal. 34. v. 13. 14. Exod. 20. v. 12. Matth. 23. v. 37. 1. Tim. 2. v. 4. 2. DEUS secundum consilium voluntatis agere non cessat, qui fidem alicui conferre vult, non voluntate absolutâ sed ordinatâ: extra quem ordinem quisquis constituitur, ei in hoc statu perseveranti, DEUS fidem conferre non vult.

§ 16. Secunda Crocii ratio ab absurdo; Si DEUS omnes, quos per verbum externè vocat, vult interiorius trahere, nec tamen omnes veniunt, Sequitur 1. tractionis efficaciam pendere ab hominis dispositione & obedientiâ. Respondeo, conjungi disjungenda, aliter enim de indispositione, aliter de obedientiâ sentiendum. Ad dispositionem quod facit, duo in eâ observanda sunt, ex parabolâ de agro fructus faciente, 1. cura Patrisfamilias, de cultu agri & bono semine. 2. conditio agri, ut patiatur evelli spinas & alia. Jam, ubi fructus non feruntur, utique hæc sterilitas ab indispositione agri dependet: at fructus à semine bono, agro non impediente seminis vires. De obedientiâ aliter sentiendum: non potest homo non renatus suis viribus obedire DEO, ideò ab hominis obedientiâ non pendet tractionis efficacia, licet autem tractum nemo potest obedientiâ promovere, potest tamen inobedientiâ impedire: purè namque passivè sese habet homo in conversione, ut cum eam non promoveat, tamen nec impediatur. 2. Sequeretur hominem unum pro alio quicquam prestare posse, quo præstito

F 2

DEUS

DEUS ipsum fide donare velit. Respondeo; absurdum est, & vim consequentia Crocius non ostendit. Causa verò, ob quam diversitas efficaciz provenit, est diversitas subjectorum impediendum, eorundemq; reluctancia & contemptus. 3. *Sequeretur, fidem partim à DEO esse, partim ab homine.* Resp. N. C. nec studium audiendi verbum requiritur internè ad constituendam fidem, quod opus est solius DEI per verbum, sed ad non impediendum operationes Dei, audientium conversionem molientis. 4. *Sequeretur, DEI potentiam hominum malitiã superari, si homines non velint trahenti obsequi.* Respondeo 1. Ambiguitas est in Phrasi non velle: nam *non velle* est vel simplex, negativum, vel conjunctum cum reluctantiã malitiosã. *Non velle negativum* non obstat inconverso, ut non convertatur, cum *non velle*, hoc loco, inferat ignorantiam puræ negationis, prout piscis negativè non vult capi, dum fraude & dolo ignorans capitur. Sed *non velle conjunctum cum reluctantiã* utiq; obstat, quò minus sequatur conversio hominis, tanquam effectus, ad actiones Dei, tanquam conversionem procuraturi. 2. Falsa instituitur comparatio inter potentiam Dei ordinariam, & malitiam hominis. Valere aliquid posset illatio, si comparatio fieret inter malitiam hominis indefinitè, & potentiam Dei absolutam & miraculosam, Act. 9. v. 1 & seq. § 17. Tertia Crocii ratio est, *Vocatio interior, quæ fidei donum est, à Paulo subordinatur electioni, Rom 8. v. 30. Quos prædestinavit, eos vocavit, & hos appellat vocatos secundum propositum, Rom. 8. v. 28. absolutè, vocatos, 1. Cor. 1. v. 24. Ecce igitur neminem hoc nomine vocari, nisi qui sit prædestinatus. Aut igitur dic, omnes esse prædestinatos ad salutem, qui externè vocantur; aut agnosce, quosdam qui externè vocantur, non interius trahi, quod Christus confirmat Job. 8. v. 47. Job. 10. v. 26.* Respondeo 1. Committi ignorationem Elenchi. Nam facile damus, electionè connecti cum vocatione, quæ fidei donum affert, ut inde sequatur, *omnem electum esse vocatum*; at non exinde sequitur: *omnis vocatus est electus*; cum non dicat Apostolus; quos vocavit, hos prædestinavit, sed quos prædestinavit, hoc vocavit.

2. VO-



2. Vocatio, quæ subordinata sit electioni ad parem latitudi-
nem, probari non potest, cum vocatio subindè sit amplior, do-
cente Christo *Matth. 20. v. 16.* fatente etiam ipso *Bezâ, Re-
sponsione secundâ ad act. Mumpel. p. 93. 95. 96.* 3. Quid sit voca-
ri, absolutè, *1. Cor. 1. v. 24.* & quid secundum propositum Dei
vocari, supra dictum est. In dicto *Job. 8. v. 47.* Loquitur Chri-
stus non de auditu verbi externo, sed interno, id est, assensu
cum obsequio voluntatis conjuncto. Nec juvat adversarios
dictum, *Job. 10. v. 26.* cum malitiæ hominum sit, non absoluti
decreti, ex ovibus Christi non esse.

§ 18. Quarta ratio. *DEUS non dat æquale incrementum
& pares profectus vocationis, Ergo tanta disparitas erit à dispari-
tate gratiæ vocantis, Kimedoni de prædest. p. 169.* Respondeo 1.
Aliud est querere, an DEUS vocet, aliud quo successu vocet?
Sol pari virtute omnia fœcundat, nec tamen pari successu,
cum ea subjecta, quibus largiri vult fœcunditatem, non ubiq;
pariter recipiant. 2. DEUS per verbum vocat, & per verbum
fidem operatur, *Rom. 10 v. 17.* Quicumq; ergò verbum audit, ille
fert fructus verbi, dummodò sibi metipsi non sit impedimento.

§ 19. Tertiò Exempla. Horum adducit nonnulla Cro-
cius. 1. *Pharisaorum & Judæ,* qui ad Christum verâ fide non
accesserint. 2. *Infantium,* qui moriuntur, priusquam ratione
uti possint, & de gratiâ Evangelicâ aliquid audierint. 3. *Gen-
tilium,* qui ante Christum natum vixerunt. Vide *Jetzlerum
lib. de fructu mortis.* 4. *Americanorum & Indorum,* ad quos do-
ctrina Evangelica ab Apostolis non potuerit deferri, cum vix
ante centum & triginta annos fuerint reperti. *Wendelinus in
Theologiâ l. 1. c. 19. thes. 8. n. 2. & 3.*

§ 20. Sed 1. Respondemus ad Exemplum Pharisaorum
& Judæ, utiq; hos vocatos esse, ipsi enim cum Christo disputa-
runt, & ab ipso convicti fuerunt, *Job. 3. v. 2.* at quod reluctati
sint Christo, *Act. 7 v. 51. cap. 13. v. 46.* de ipsorum inobedientiâ
est; quæ universalitatem vocationis non infringit. Ita Judas
vocatus ad tempus credidit, & alios vocavit, sed propriâ ma-
litiâ iterum excidit fide. *Matth. 27 v. 5.*

F 3

§ 21. Re-

§ 21. Respondemus 2. *ad exemplum infantum.* 1. Sic nec omnes electos vocari, cum quidam infantes sint electi. 2. Negamus inde particularem probari vocationem, si infantes non vocentur, cum concedatur adultos vocari, Ergo concedendum est omnes vocari, si infantes adultiores facti sint; negamus enim omnes in quavis ætate vocari. 3. Negamus quosdam infantes non vocari. Aliqui enim vocantur Baptismo: omnes vocantur, (ne instinctum naturalem hic urgeamus,) in parentibus, tanquam stirpibus suis.

§ 22. Ad 3. Exemplum Gentilium Respondemus, Omnes gentes omni tempore vocatas esse, Sed 1. *non solenni predicatione*, quæ solis Judæis contigit, *Psal. 147. v. 19. 20.* 2. *Non habitâ concione in loco ipsorum proprio, sed præconio Ecclesie.* Quod enim templum est in civitate, ad quod incolæ vocantur campanæ sono, id est Ecclesia in toto mundo, ad quam omnes vocat homines illustri famâ suâ. Committitur ergo ignoratio Elenchi. Tacemus cæteros vocationis modos supra recensitos.

§ 23. Nunc ad 4. Exemplum Respondendum esset, quo Calviniani quæstionem movent, an etiam Americani Apostolorum tempore sint vocati? Quod si enim gentibus multa innotuerunt de Paradiso, de longævitate primorum parentum, de sacrificiis, de diluvio, de duobus columbis, de mundo flammis exurendo, de turri Babylonicâ, de conflagratione Sodomæ, lacuq; Asphaltite, de Abrahamo, de Circumcisione, de egressu ex Ægypto, de legibus Mosaicis,

(*Tredidit arcano quacunq; volumine Moses. Juvenal.*)

de Sabbatho, seu revolutione dierum hebdomadicâ, de Hierosolymâ, Jerichunte, ac hujusmodi cõpluribus; si regina Sabæ, si Cyrus, si Profelyti plurimi de DEO inaudierunt; si mare ac aridum perambulârunt Pharisei, *Matth. 23. v. 15* quantò magis in N. T. cui plenaria gentium conversio reservabatur, lux veri cultus in universum orbem emicuit? Verùm istud differemus in caput subsequens, in quo quæstionem isthanc fusè tractabimus, opposituri adversariis ea, quæ contulimus ex publicis prælectionibus Amplifs. Dn. Præsidis, Præceptoris nostri honorandi: quod DEUS fortunet. CAPUT

De quaestione, quâ quaeritur: An ab Apostolis Evangelium sit prædicatum in Americâ?

Hanc quaestionem, ut diximus, ex ore Dn. Præsidis, D. RÖBERI, dabimus expeditam, quantum assequi potuimus.

§ I.

Historica ad ἑξέτασιν facientia.

Regii esse instituti, ad remotas Insulas classes emittere, ac navigationes adornare, illustribus patet exemplis. Sapientissimus Salomon (ad quem Sap. 7. v. 17. à nonnullis interpretibus refertur, qui de ipsâ potius Sapientiâ, quod sciverit dispositionem orbis) navigationes instituit in Ophir, 1. Reg. 9. v. 26. 2. Paral. 9. v. 21. Nihil dicam de Rege Tyri Hiramio, Rege Josaphato, & Ochozia, qui classem construxerunt in Ophir emittendam propter aurum, sed ire non poterant, quia confracti sunt in Asion-gaber, 1. Reg. 22. v. 49. 2. Paral. 20. v. 36. Equidem apud Joseph. l. 1. contra Appion, refertur, Hebræos nullis commerciis celebres apud nationes alias extitisse: unde quidam monent Theologi, malè audire Tyrios ob questuosissimas navigationes, Esa. 23. v. 2. 6. Ezech. 27. v. 6. seq. Vatablus in Psal. 71. v. 10. per insulas intelligit totum illum tractum, qui est à Ciliciâ in Græciam: nam Judæi, ait, contenti patrie sue commodis, non navigabant ad alias gentes, incluserat enim eos Dominus datâ operâ, ne se corrumpere exæternis moribus, posuit enim DEUS ipsos in medio gentium. Verum tamen non malè cecit hoc opus Salomoni: sed sparsa sic sunt DEI elogia in remotissimas etiam regiones, quapropter ipse Salomon in dedicatione templi ominatur, ad futuras esse gentes ad templum Domini, cujus fama ad ipsos spargenda esset, Ut scirent omnes populi terræ, quod Dominus ipse sit DEUS, 1. Reg. 8. v. 60. Nam in sermone ejus quievit abyssus, καὶ ἡ φύσις αὐτῆς ἐν αὐτῇ ἠ-

685.

46.
Malè ergò
Dittenber-
ger / Der H.
Jesus hat es
gepflanget.

σ 85, Und er hat Inseln drein geseet / Sir. 43. v. 25. (lat. vulg.
Plantavit illum Dominus JESUS : pro vñσ 85 legerunt Inσ 85 s
rectè igitur correxerunt Romani Censores) Et Insulæ omnes
DEUM laudaturæ, Psal. 72. v. 10. Psal. 97. v. 1. Esa. 24. v. 15 .c. 42.
v. 12. cap. 49. v. 1. cap. 51. v. 5. cap. 60. v. 9. cap. 66. v. 19. &c.
Thomas Lopezius in sua Indicâ navigatione scribit, Sophalen-
ses in rerum suarum per antiquis commentariis legere, Salomo-
nem Regem, tertio quoq; anno, ingentem auri copiam ex istis locis
deportasse. Unde antiquissima sit traditio, aurifodinam ibi fuisse
Salomoni, unde tot thesauros exhausserit. Est autem Sophala
seu Cephala sub imâ Africâ, ad Oceanum Æthiopicum. Et
Maffæus l. 10. Hist. Indicæ ex Bonferii literis commemorat, de
origine Pegusiorum; stirpem eos à Judæis exulibus ducere, qui à
Salomone damnati ad Ophiranas aurifodinas, ea loca primi te-
nuerint. Secundum quam sententiam Ophir esset constituenda
in Indiâ Orientali. Porro mentio fit Regina Æthiopiæ, Act. 8.
v. 27. Plures Reginas vide apud Strabonem, quarum omnium
nomen fuisse Candaces: Regnare feminam Candacem, quod
nomen multis jam annis ad Reginas transit (in Meroe) Plin. l. 6.
nat. hist. cap. 29. Mentio etiam in Sacris injicitur Reginae Au-
stri, Matth. 12. v. 42. Luc. 11. v. 31. quæ Salomoni synchronos &
familiaris fuit, 1. Reg. 10. v. 1. Hæc an fuerit ex Sabâ Africa, an
Asia, cujus posterioris incolæ iterum triplices faciunt (Sabæos
Arabes, qui sunt in Arabiâ felici, ad sinum Arabicum; Alios Sa-
bæos Persicos, qui in eadem Arabia sunt ad sinum Persicum: tertios
qui in Indiâ sunt, quos Sabæos Indos nominare possis) non est hu-
jus loci discutere: nisi quod navigationis etiam beneficium & insti-
tutum illustrat: quâ enim ratione existimas famam (Salomonis)
delatam fuisse ad Reginam Regnumq; Sabæ, quàm navigationis
commercio? ut scitè ratiocinatus est Sabellicus En. 1. l. 9.

Ut ergò tum temporis reges ac regina navigationibus dede-
runt operam, vel instruendis vel à semet usurpandis, usuiq; suo ad-
hibendis: imò superiori seculo Christophorus Columbus seu Co-
lumbus, Ligur, cum in animum suum induxisset, novas Insulas de-
tegere, regibus ac reginis suum hunc animum & consilium ape-
riendum

47.
ritandum esse duxit, postquam enim à Goauensi Republica popu-
loq; repulsam tulerat, & pro ludibrio potius, quam miraculo habi-
tus fuerat, obtulit operam hanc Henrico VII. Regi Angliæ, ac spe
frustratus, Alphonso V. Regi Portugaliæ. Tandem igitur ali-
quando voti compos redditus, & à Ferdinando ac Isabellâ
Castiliæ Regibus, instructus est classe optatâ, Anno Christi 1492.
Post varia igitur pericula tum à mari, tum à sociis objecta, pla-
nè animum despondentibus, conspexit incognitam hactenus, totq;
votis exoptatam terram, post dies 33. Quæ verò fundamenta Co-
lumbus habuerit, sparsas à Deo esse Insulas in vastissimo illo mari, in-
dicavit nemini. Sunt qui patent, ipsum ab Hispano quodam nau-
tâ, Puxolâ, orbem illum novum ad Occidentem didicisse: vel in
scripto quodam, hominis naufragium passi, reperisse: Alii, quod
cum sepè trans Gades in Portugalliam navigasset, observaverit
ventos quosdam statis anni temporibus ab Occasu flare, qui multos
dies constanti & equabili tractu spirarent: Quos cum non a-
liunde, quam ex transmarinâ aliquâ orâ, cujus halitu gignerentur,
prodire posse judicaret, animum adjecisse ad istius terre inqui-
sitionem. Quâ de re Geographi adeundi. Nobis certum est, in-
signi DEI beneficio & ductu hac contigisse, cum de Insulis remotis,
incolarumq; conversione tot sint in promptu vaticinia, Psal. 72.
v. 10. Esa. 42. v. 10. 12. & seqq.

§ 2. Τὸ ζῆτέεσθαι.

Jam ergo Quæstio est, An Apostolicæ doctri-
næ splendor illas etiam oras & insulas illustra-
verit olim, quæ ab Anno 1492. à Columbo &
Successoribus ad occidentem, à Magellano ad
Meridiem, à Lusitanis ad Orientem, ab Anglis,
Gallis & Batavis ad Septentrionem repertæ
sunt, vel repertæ esse dicuntur?

Quod ut distinctius capiatur, repeti potest animo, quæ fuerit
Ptolomæi tempore orbis cognitum tum latitudo tum longi-
tudo,

tudo, & quantum utriusque accesserit. Ptolomæus lib. I. Geographica Enarrationis cap. 10. ostendit, universam cogniti orbis latitudinem non esse octuaginta septem, ut Marinus senserat, sed tantum 80. graduum. Longitudinem verò, quam Marinus posuerat 215. graduum, ab Insulis Fortunatis usque ad Scias, corrigit Ptolomæus ibidem c. II. Contrahitque totam in 12. horarum intervalla, hoc est, in gradus 180. Evidentius ob oculos ponunt recentes Geographi seu Geonomi, qui sic terram (scabellum illud DEI, Esa. 66. v. 1.) dimetiuntur. Longitudo terra veteribus cognita est spatium 180. graduum: ita, ut longitudo terra illis patuerit quantitate semicirculi: Sed recentiores partim ultra terminum Orientis à Ptolomæo constitutum, partim ultra limitem occidentis Ptolomæicum, extremas America oras perlustrarunt, & invenerunt longitudinem terra 340. graduum, adjectis 60. gradibus versus orientem, & 100. gradibus versus occidentem: quibus additis ad longitudinem Ptolomæi 180. graduum, sunt gradus 340. Desiderantur itaque gradus adhuc 20. qui nondum sunt cogniti. Hec illi. Sed addi possunt, quæ in Systemate Geographico Keckermannus habet, ex quo accessio partium Orientalium (de occidentulibus enim plana sunt passim omnia) rectius intelligitur, cum Indiam (extremam Orientis partem) distinguit in veterem & recentem. Veteris terminum ponit Sinarum regionem, & distinguit cum aliis omnibus, in Indiam intra Gangem, cujus maxima urbs Calicutum: & extra Gangem, quæ ad Chersonesum usque; auream, seu Malaqua, protenditur. Novæ autem Indiæ partes duas constituit, Orientalem, ut regnum Cathai, quod superior India dicitur, & Meridionalem, ubi Chinarum regio, itemque Japonia, & aliæ partes à Lusitanis inventæ, quæ Indiam inferiorem complectuntur. Hactenus ille. Addenda verò sunt & judicanda, quæ duo Theologi Pontificii proponunt, Thomas Bozius nimirum l. 4. de signis Ecclesiæ, & Adamus à Conzen in Epist. Rom. c. 15. Sic verò scriptitant, & orbem veteribus cognitum, arctioribus etiam angustiis circumscribunt: Religio olim Christiana nunquam sedes fixit ultra Canarias Insulas, & sinum Gangeticum, quod quidem terrarum spatium est graduum 120. At ambitus orbis totius, qui nunc nobis est ita pervius,

pervius, ut circumnavigantibus semper occurrant Christianorum portus, est graduum 360. è quibus si demas 120. residui erunt 240. duplo scilicet plures. Igitur duplo nunc est amplior Christiani cultus amplitudo, quam fuerit ante secula superiora. Huc accedit, quod antiquitus Evangelium non protendebatur, nisi à circulo arctico, ad summum usq; ad æquinoctialem: at nunc usq; ad antarcticum ferè, à quo fretum Magellani, quo nostri pervenerunt, 10. tantum gradibus abest; hoc verò discrimen est graduum 55. quod est propè tantundem. Hec ille. Non vituperio, sed laudè maximè ducenda est improba etiam in his dimensionibus diligentia, siquidem DEI donum est, divina sapientie Cægypteæ, scire dispositionem terræ orbis, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, Sap: 7. v. 17. Ut enim cælestes circuli enarrant gloriam Dei, Psal. 19. v. 2. ita & terræ circuitus, Psal. 24. v. 2. Utinam verò etiam in mysteriis divinis & Geographiæ terræ viventium, ita laboraremus, tantis impensis, vigiliis, periculis: ut constet, quæ sit Charitatis divine latitudo & longitudo & sublimitas & profunditas, Eph. 3. v. 18. His verò quæ de longitudine orbis terrarum adducta sunt, conjungi & necessario debent & jucundissimè possunt illæ etiam observationes, quæ de terris veteribus planè incognitis, circa polum utrumq; arcticum & antarcticum, recentiores addunt. Factum enim est DEI beneficio, ut due adhuc terræ, seu partes orbis detectæ sint: 1. Terra subborealis, quam Petrus Bertius toto l. 2. tabularum Geographicarum contractarum persequitur (Spizbergia, Grönlandia, Islandia, nova Zembla, Fretum Waigaz: quibus additur Frislandia, Scödlandia, Icaria.) 2. Terra subaustralis (ubi nova Gvineæ, & Insulæ Salomonis, fretum Magellanicum, Psittacorum regio, terra del Fugo, provincie sive regnum Peach, regnum Lucach, regnum Malecûr, terra Ferdinandi de Quir, & fretum le Mair. De tot igitur regionibus, numero pluribus, spacio amplissimis, proventu opulentissimis, questio est, utrû Evangelii doctrinam prorsus caruerint, & accommodari ad illas possit Psalmus: Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis, Psal. 147.

§ 3. Sententia Negantium.

AD questionem hanc quid responsi afferant vel veteres vel recentiores, accuratè jam dispiciendum est. Cornelius à Lapide sic procedit: *Quæres, quis sit hujus versiculi Davidici sensus (in omnem terram exivit sonus eorum, Psal. 19. v. 5.) & an de facto hoc tempore, quo hæc Paulus scripsit, (Rom. 10. v. 8.) vox & prædicatio Apostolorum exiverit in omnem terram & omnes gentes?* 1. Sanctus Chrysostomus & Theophylactus putant, prædicationem Evangelii factam esse apud omnes gentes ante excidium Hierosolymæ per Titum. Huic sententiæ favet, quod de S. Thomâ Apostolo (teste D. Stapletono in ejus vitâ) scribunt veteres, eum plurimis & remotissimis etiam Indiæ populis Evangelizasse. Unde & Emanuel Nobrega societatis nostræ in Brasiliâ Provincialis scribit, in Brasiliâ extare in ripâ fluminis vestigia pedum hominis sancti, qui, ut infideles se persequentes effugeret, super fluvium ambulavit, & pertransit, eumq; ab incolis vocari Tome, qui non videtur esse alius, quàm S. Thomas. Rursum clarius est, quod scribit P. Nicol. Trigautius in expedit. Sinensi l. 1. in fine, Sanctum Thomam convertisse Sinenses, idq; constare ex breviario Chaldo Ecclesiæ Malabaricæ S. Thomæ, quod sic habet: *Per D. Thomam Sinæ & Æthiopes conversi sunt ad veritatem. Episcopus Ecclesiæ Malabaricæ se vocare solet Metropolitanam Indiæ & Chinæ. Deniq; Josephus à Costa l. 1. de novo orbe c. 11. docet, Indias veteribus fuisse cognitâs. Christus enim suos Apostolos misit per totum orbem, Matth. 28. v. 18. Euntes, ait, docete omnes gentes: cui præcepto obediens ipsi post Christi ascensionem inter se orbem dividerunt, & quisq; provincias & gentes sibi assignatas adiit & convertit. Hoc de plerisq; & posterioribus eo tempore provinciis verum est, non tamen universim de omnibus omnino.* Quocirca 2. negat hoc S. Chrysostomi dictum, Augustinus Epist. 80. ad Hefichium, Anselmus, Origenes & alii. & c. Idq; rectè negari patet ex regionibus & populis Indiæ Occidentalis, ac quotidianis in eam Hispanorum navigationibus, quibus hoc seculo novæ gentes plurimæ & maxime hætenus incognitæ reperta sunt, quæ nihil de Christo & Evangelio audierunt.

3. Ambro-

3. Ambrosius & S. Thomas dicunt, quod ad omnes gentes olim pervenerit fama Evangelii, licet nec predicatio, nec fundatio Ecclesiarum. Sed hoc non satisfacit, nec videtur verum, uti navigationum, de quibus jam dixi, experientia constat. Hec ibi Cornelius; Et ante illum Bellarminus, probaturus Antichristum nondum venisse, l. 3. de Romano Pontifice c. 4. ex illo argumentum sumit, quod Evangelium Christi nondum omnes provincias pervaserit. His enim verbis in nos insurgit: Denique, quod etiam nostro tempore non sit predicatum Evangelium in toto mundo, experientia docet. Inventae sunt enim in Oriente & Occidente regiones vastissima, in quibus nulla extat memoria Evangelii: Neque dici potest fuisse ibi fidem, sed postea esse extinctam. Nam saltem aliqua vestigia remanerent vel ibi, vel in Scripturis veterum. Praeterea scimus, ubi predicaverunt omnes Apostoli, fuisse loca multis nota, nec dicam omnibus: At novus orbis terra nunc inventus, non fuit cognitus ab Apostolorum temporibus, nisi paulo ante nostram aetatem. Ex Bellarmino haec transcripsit Scioppius (de Antichristo) qui textus addidit, de vocatione gentium, Psal. 72. v. 8. & 9. Zach. 10. v. 11. Soph. 2. v. 11. Malach. 1. v. 11. Similia habet Adamus à Conzen ad Rom. 10. Origenes & Augustinus, inquit, suis temporibus negant, ubique predicatum fuisse. Origenes in Matth. 28. Augustinus Epist. 8. ad Hesichium. Eos sequuntur Anselmus, Pererius. Nec dubium esse potest idcirco, quod nulla memoria, nulla vestigia Christianae religionis in illis locis anquam fuissent. Itaque nec Chinis, nec Japoniis, nec Americanis predicatum est Evangelium ab Apostolis. Eundem in modum Blasius Viegas in Apoc. p. 771. disputat, nondum completum esse signum, Matth. 24. quod multa etiam nunc existant gentes, nationesque amplissima, quibus adhuc Evangelica tuba nondum insonuit. Accedit ad hanc Pontificiorum sententiam Alstedius, qui l. 12. Encyclop. c. 4. ad questionem, An Apostoli fuerint & docuerint in Americam? respondet negando. DEUS enim voluit periodum certam observare in annunciatione Evangelii, cujus vox ubi plenè sonuerit in novo orbe, sine dubio finis seculi erit praeforibus. Idem Alstedius, de mille annis Apocalypticis p. 107.

Matth. 24. v. 14. *Eccē ante ultimum Judicium, ait, ipsi etiam Indi & alii, qui nondum agnoscunt Jesum Christum, adducentur ad Ecclesiam.*

§ 4. Sententia in contrarium seu diversum abeuntium.

*S*unt verò complures Theologi, ex ipsis etiam Pontificiis & Calvinianis, maximè verò de nostris Ecclesiis, qui statuunt, omninò tubam Evangelii per remotissimas etiam Insulas novi orbis, ut & utramq; Subpolarem, sonnisse: vel certè probari satis non posse negantium sententiam. Quam ad rem laudabo Scripturarum eloquia, Patrum suffragia, rerum documenta. In toto orbe passim, ait Pelargus in Jesuitismo p. 76. *Evangelii vocem audiram, nullus nobis firmabit testis aut sanctior, aut certior Apostolo Paulo: qui suâ jam etate Rom. 10. v. 18. Annon, inquit, audierunt? imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum: Et Colos. 1. v. 23. Prædicatum est Evangelium omni creaturæ, quæ est sub cælo. Idem statuit Hesi-chius Tom. 2. Epist. 79. ad Augustinum, & Augustinus Tom. 7. c. 2. de nat. & grat. contra Pelagianos. Advocarem clarissimos orbis lustratores, & numquid non in remotissimis hodiè insulis audiri possit verbum DEI, audirem: nisi vel Tertulliani contra Judæos, vel Theodoretii l. 9. de curatione Græcarum affectionum sufficeret testimonium, qui in Insulis etiam & Provinciis abditis fuisse Evangelium affirmant. Potuit alicubi esse, & fuit verè, ubi fortè ob ingratitude & contemptum non magis sit hodiè: Sicut apud Insulas ab Hispanis recens inventas, etsi nulla veterum memoriâ nobilitatas, imò Christi ne nomen quidem habentes, monumenta tamen Christiana fidei in terris sepulta, fodiendo reperta esse, tradunt Historici, ut Osorius & alii. Vide D. Balduinum de Antichristo, qui Tertulliani dictum contra Judæos laudat, credidisse Christo Getulorum varietates, & Maurorum multos fines, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum & Dacorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & Insularum multarum nobis igno-
tarum,*

530
tarum, & quæ enumerare non possumus. Et Hieron. in cap. 24. Matthæi, Non puto, inquit, aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Sic Adamus Conzius Jesuita super Rom. 10. hanc sententiam ita proponit ex Hilario in Matthæum, Chrysoft. Euthymio, Theophylacto, ante captam Hierosolimam in omni orbe prædicatum Evangelium. Nam consummationem, cuius ibi (Matth. 24. v. 14.) mentio, à Tito illatam Judæis captivitatem existimant. Hinc Col. 1. in toto mundo dicitur fructificare Evangelium. Quia Paulus ab Hierosolymis ad Illyricum implevit Evangelium. Quid igitur alios fecisse credendum est? Denique præceptum, euntes in universum mundum, non sivit eos partem aliquam relinquere intactam, Marc. 16. v. 15. Huc facit illud Danielis Chamieri in Panstratiâ Tom. 2. l. 16. c. 4. Quid? quod Hieronymus atq; alii illam prædicationem latè accipiunt, non tantum pro pastorum laboribus, sed etiam pro auditione fama? quod si est, quis verisimiliter negat, aut Indos illos, quos Parthiæ proximos Ruffinus observat, in quam profectum esse S. Thomam tradunt historia, nihil inaudisse de Christo à vicinis? aut Polonos, Vandalos, Moravos à Germanis?

§ 5. Rationes negantium.

Contrahi possunt fundamenta sententiæ negativæ ad duas potissimè classes, i. quod prorsus incognita fuerit maxima illa orbis pars, quæ novus orbis ob magnitudinem dicitur, ante hos centum annos. Sic enim ex illorum mente Keckermannus in Geographicis pag. 182. Alii verò contra acriter pugnant, novum illum orbem veteribus planè incognitum fuisse, idq; propterea, i. quia ars navigandi, præsertim in Oceano, veteribus magna parte ignorata fuit, præsertim autem testantur historia, non ausos fuisse homines sese committere isti oceano, qui ab Occidente per meridiem in Orientem ducitur propterea quod existimarent, extremam Africæ oram totam rigere frigoribus, ita ut hominum nullus eâ parte navigare queat, sicut hodiè eadem de causâ nondum licuit naves per Septentrionem in Orientem deducere. Accedit aliud argumentum, quod summi illi Principes Geographiæ, nempe Ptolemaus

maeus & Strabo, disertè scribant, ultra Hispaniam & Africae lit-
 tora occidentalia, nullam esse terram firmam, atq; adco, quod Pro-
 tomaeus in extremo occasu ponat Insulas Fortunatas, ultra quas
 meridianum alium in terra habitabili nullum penitus dari existi-
 mavit. 2. Quod nulla planè vestigia doctrinae Christi fuerint re-
 perta in terris vel Insulis illis, quas dicunt incognitas. Sic enim
 Adamus à Conzen Commentario ad Rom. 407. Origenes &
 Augustinus suis temporibus negant ubiq; predicatum fuisse: Ori-
 genes in Matthæum 28. Augustinus in Epist. 8. ad Hesichium.
 Has sequuntur Anselmus, Pererius. Nec dubium esse potest, id-
 circò quod nulla memoria, nullum vestigium Christianae religionis
 in illis locis unquam fuerit: Itaq; nec Chinis nec Japoniis nec A-
 mericanis predicatum est Evangelium ab Apostolis.

§ 6. Judicium de his negantium ra- tionibus.

Sed quod priorem respicit rationem, negamus illis, terras has
 controversas, veteribus omninè fuisse ignotas. Notus est ex
 Gen. 10. v. 29. Ophir, filius Iektan, filii Arphaxat, filii Semæ &
 Ophir ille latissimè patentes terras occupasse legitur, secundum
 abyssi magna litorea ad ortum, & produxisse nomen genusq; suum
 ad duas regiones, angusto terrarum, sed longo, Istmo interjecto
 distinctas. Videatur Benedictus Arizemontanus Hispalensis de
 gentium regionibus. Jam verò in terram Ophir naves Salomo-
 nis & Hiramii directas fuisse constat ex 1. Reg. 9. v. 27. & 28. c. 10.
 v. 11. & 12. 2. Paral. 8. v. 18. cap. 9. v. 10. Et frequenter ejusmodi
 navigationes fuisse institutas, liquet ex 1. Reg. 22. v. 49. ac depin-
 gitur portus hujus navigationis in mari rubro Afion Gaber, 1. Reg.
 22. v. 49. Vide mappas Geographicas Ortelii, ut & Pinedam de
 hoc Afion Gaber fusè differentem. Ophir fratrem habuit Hevi-
 la, Gen. 10. v. 29. quem in viciniam familiam constituisse consenta-
 neum est; ac optimè sic quadrarent, qua de fluvio ex Hevila, Gen.
 2. v. 11. babentur, ubi aurum optimum & copiosissimum. Vide
 nostrum Doct. Franzium de Interpr. Script. pag. 232. Facit hoc
 ad declarandam illorum sententiam, qui statuerunt, Salomonis jam
 tempe-

55.

tempore ad antipodas institutas fuisse navigationes seu classes. Longè tamen copiosior est disputatio illa de Ophir, quam quæ huc afferri possit. Videant eruditi peculiarem tabellam Geographicam, aspectu jucundissimam, quam in gratiam insule Ophir construxit Ortelius, ubi eleganter ac distinctè ostendit, quàm diversis in locis à diversis auctoribus Ophir constituatur: in mari enim Atlantico sicut Montano, Postello, & Goropio, (ad circulum Capricorni) in mari Atlantico Roberto Stephani (sed ad circulum Cancræ) ad Africæ terminum Ortelio, ad Asiæ limitem Varerio & Nigro. Ejusmodi dissensiones Jesuita Emanuel Sannat: Ophir, dicit, Hodie dicitur Peru, vet est Angola, unde Lusitanis multum auri, Hieronym. Epist. 140. locum putat esse in Indiâ, quidam Malacam credunt, alii Insulam propè Malacam, quæ hodie Zamatra vocatur. Hæc Sa. Martyr auream Gersonesum facit Ophir, quam hodie Taprobanam dictam censent. Quicquid hujus sit, novum orbem veteribus non fuisse ignotum, ut negantes adversarii statuebant, noster M. Erasmus Schmidius disputat peculiari Oratione de Americâ, tum seorsim excusâ, tum Pindari operibus suffixâ. Cum quo facit Jesuita Pineda l. 4. c. 16. de rebus Salomonis, qui ex Sap. c. 7. v. 17. probare nititur, Salomoni sapientissimo minimè fuisse ignoratum novum orbem, cum sciverit dispositionem orbis terrarum, &c. (in quo tamen testimonio vim nos non facimus, cum de ipsâ Sapientiâ sermonem fieri dixerimus in frontispicio) sed addit hæc quæ sequuntur: & confirmo ex eo, ait, quod novi orbis notitiam aliquam habuisse veteres innumera sunt, & quæ vix eludi possunt, argumenta, quæ diligenter enumerant, atq; ex antiquitate proferunt Abrahamus in suâ novi orbis tabulâ, Goropius l. 7. Hispanicorum, Josephus à Costa l. 1. Indicæ historiæ cap. 11. 12. 13. Thomas Bozius l. 20. cap. 3. Malvenda l. 3. de Antichristo c. 16. Gregorius Jarzia l. 1. de Origine Indorum, ex Platone, Senecâ, Luciano, Arriano, Clemente Romano, Origine, Hieronymo, & aliis, qui ejus orbis meminisse visi sunt.

Huic Jesuitæ testimonio Calvinianum Keckermannum annectamus, distinctiùs hæc explicantem: Qui cognitum fuisse existimant,

H

stimant,

Simant, (inquit Keckermannus) duo loca ex Platone afferunt, nempe ex Timæo & Critiâ, ubi Atlantidos mentionem talem facit, ut penè describat hunc orbem. Afferunt etiam locum ex Aristotele, qui in libro de memorabilibus mundi (quem tamen librum multi Theophrasto ascribunt) scribit, Senatorem Carthaginensem publico edicto cavisse, ne cives belli Romani radio amplius in Atlantidem navigarent, quasi in alium orbem. Afferunt etiam locum ex Plinio l. 2. c. 66. & l. 6. c. 32. ubi refert, Hannonem Carthaginensem novas terræ partes reperisse. Sed imprimis memorabilis est locus, quem adducunt ex Senecâ Tragedo in Medæâ actu 1. sub finem, venient annis secula seris, quibus Oceanus vincula rerum laxet, & ingens pateat tellus, Typhisq; novos detegat orbem, nec sit terris ultima Thule. Si ergo nil veteres sciverunt de novo orbe, quomodo Seneca tam expressè de eo potuit vaticinari? Plura alia argumenta sunt, quæ legant Geographiæ studiosi, in præclarâ Epistola Johannis Metelli de India, & in Josepho à Costâ Jesuita l. 1. de novo orbe c. 6.

Posterius ἀντίβλημα quod respicit, vestigia omninò satis insignia observari possunt in descriptionibus navigationum Indicarum, viros Apostolicos vel Apostolum aliquem in novo etiam orbe pedes fixisse. Huc 1. aureus nummus, de quo Chytræus in Chronico pag. 195. & in Geographiâ p. 15. hæc memorat, notam omninò Romanis Atlantida sive Americam fuisse. Marinus Sículus l. 15. historiæ Hispanorum etiam hoc argumento probat, quod in Veteribus Hispaniola Insule aurifodinis aureus nummus inventus sit, in quo effigies Augusti Cæsaris conspiciebatur, quomodo idem extulit Autor Theatri orbis terræ Abrahamus Ortelius, quem ob admirabilitatem rei scribit missum fuisse ad Summum Pontificem. Eadem etiam referunt Epistola Asiaticæ (vide tamen iudicium de hoc aureo nummo Petri Bertii in tabulis Geographicis contractis). 2. Insigne testimonium Johannis Lerii, qui cum aliis Gallis navigationem instituit in Brasiliam seu Americam, qui, cum Barbaris illis, de DEO & rebus divinis prædicasset, duas amplius horas per attentè auscultaverunt, tum unus ex iis autoritate & ætate gravis, in hunc modum disseruit: Mira equidem optima &
nobis

nobis non ante audita hic dixistis, ac vestra quidem oratio, mihi in
 memoriam redigit, qua nobis saepe avos nostros narrantes audivi-
 mus: nempe jam inde à priscis temporibus, & tam multis abhinc
 Lunis, quot jam meminisse non possumus (quippe illi lunarum nu-
 mero aut vicibus, non mensibus atq; annis temporum spatia defi-
 viunt,) venisse in has terras, quendam Mair (id est Gallum seu
 quâlibet aliâ è gente advenam) vestro more vestitum, & barba-
 tum, atq; eum, ut ipsos sub DEI vestri obsequium duceret, eadem
 oratione apud omnes esse usum, quâ nos hodiè affamini. Sed ut
 nobis quoq; à Patribus per manus traditum est, eos illius verbis fi-
 dem adhibere noluisse, itaq; mox successisse alium, qui enssem, sym-
 bolum maledictionis, illis traderet, inde secuta inter nos bella, neq;
 ex eo mutuis cadibus alii in alios scire destitimus. 3. Quod re-
 surrectionem ex mortuis crediderint: Idem enim Lerijs testatur,
 Barbaros, Cusco urbis accolae, non modo animarum immortalita-
 tem, sed etiam corporum resurrectionem credere, quod scriptor In-
 diae occidentalis Historia l. 4. c. 124. hoc exemplo confirmet: In-
 di cum animadvertent, Hispanos sepulchra, ut auro ceterisq;
 pretiosis potirentur, aperientes, ossa projicere ac dispergere, roga-
 bant, ne ita dispergerent, ne illud resurrectioni obesset, illi enim (in-
 quit) corporum resurrectionem, ut & animae immortalitatem
 credunt. Alius quoq; Autor Profanus affirmat, gentem barbaram
 & Ethnicam eousq; processisse, ut resurrectionem crederet. Hac
 sunt illius verba: Postea Cæsar Ariovistum & Germanos de-
 vicit, qui corporis erant insolitâ proceritate, fortitudine non mino-
 ri, fortiter enim pugnabant, mortemq; contemnebant, se resurre-
 cturos opinantes. Lege quoque Camerarium in operis successi-
 vis cap. 97. p. 489. Mirum est, ait, Indos illos occidentales, alio-
 quin parùm à bratis distantes & c. non tantùm immortalitatis
 animae, sed etiam resurrectionis corporum & c. gustum aliquem ha-
 bere, id quod tum sepultura eorum ritus indicant, tum quod Hi-
 spanos, spe auri & argenti oruentes & perscrutantes sepulchra
 ipsorum, orare solent, ne ossa humatorum dissipent, quò vide-
 licet illi ocyus & minore negotio resurgant; ut Aug. Zaras &
 Benzo testantur (lib. 1. cap. 12. hist. Peru lib. 3. cap. 20. hist. no-

vi orbis.) Præterea de incolis idolatris insula Virginiae ante plu-
sculos annos ab Anglis inventa, qua America versus Septentrio-
nem conjungitur, ita scribit Thomas Hariotus: *Anime immor-
talitatem etiam credunt &c. Eodem modo Orosius scribit (lib.
4.) Indos Orientales Narfingenses animum immortalem cre-
dere & post hanc vitam præmia bonis, improbis autem supplicia
esse judicio divino constituta, 4. Quod aliquid ipsis residuum
fuit doctrina de creatione mundi, de perditione facta per diluuium
& futurâ per ignem, de præmiis bonorum, & malorum suppliciis.
Etenim regni Rhenopatae cives, primo Lusitanorum ad has ter-
ras, accessu, inventi sunt minus simulacra colere, sed unum DEUM
caeli & terra conditorem confiteri, vide Philippum Nicol. l. 1. de
regn. Christ. p. 23. & Hieronymum Benzol. 3. c. 20. Perueniens,
ait, immortalitatem animarum credere, & attextur ex Hispani-
is Scriptoribus, credere Peruanos, ingentem præcis temporibus in-
undationem accidisse, quibus omnes submersi sint mortales, paucis
exceptis, &c. Addit Autor, credere Peruanos, mundum quoque
interiturum aliquando ingenti siccitate, & conflagratione aëris,
quâ Sol ipse & Luna hauriantur &c. ita bonorum præmia & ma-
lorum cruciatus Cipangini & Peruani & Brasilienses credide-
runt, antequam Christophorus Columbus accederet. 5. Quod
vestigia reliquorum etiam fidei dogmatum, licet interdum satis
obscura, ibi reperta sint: Exempli gratia, de sacrificiis, mactarunt
enim hostias plurimas, etiam humanas, & in tantâ quidem copiâ,
ut unâ vice quinque plus millia hominum immolati, vide West-
vnd Ost Indischen Lustgarten ex Botero & aliis, pag. 81. 86. 130.
Item de circumcissione ac Baptismo: Testatur enim Petrus Mar-
tyr, quosdam Americanos sacerdotes baptisasse Americanos
pueros puellasque, cum piis ceremoniis in templis, aquâ in crucem
cum urceolo superinjectâ: verba Hispani non perceperunt, aëus
& murmura licuit animadvertere: Circumcissionem etiam cum
Baptismo tenuerunt, quod ab Æthiopibus potuerunt accipere;
Item de confessione, de satisfactionibus, de lotionibus, de Sacerdo-
tum unctionibus, de morte alicujus maximi viri, quem lugent
quotannis, de cenâ aliquâ, de pomo seu cucurbitâ, de votis & vir-
gini-*

59.
ginibus Vestalibus &c. multa passim occurrunt; quo pertinent ipsorum Scholæ, nec non templa sæpè augustissima, in quibus columnæ & idola ex Smaragdis constructa &c. quæ omnia latius persequi, magni esset operis. Legantur istæ navigationes & descriptiones. Adde, quod in primâ freti Magellanici peruestigatione Indiani nautas salutarunt nomine JESU, vide Lustgarten p. 25. Illustrare hæc etiam potest Amphitheatrum naturæ Magistri Georgi Beati p. 376. quod in regno Narisingæ Christiani fuerint inventi, sub adventum Portugalensium: Diweil der König von Portugal viel Heyden erschlagen, des mussten die Indianische Christen entgelten, daß man sie allenthalben verfolgete vnd tödtete/ &c.

§ 7. Conclusio pro Affirmantibus.

Idem ergo DEUS, qui Christophoro Colombo tam constantem animum largitus est, ut Americam omnibus modis adire constituerit, tandemq; felicissimè adierit, cur non potuit Apostolos & discipulos, quos ad omnes gentes emisit, sic instruere, ut satisfacerent officio? Si America cupiam potuit innotescere per ventorum impetum, uti quidam opinantur, Columbum ex testamento cujusdam nautæ hanc notitiam accepisse, vel ex schedulâ aliquâ penes ipsum reperta, quidni sapientissimus DEUS, Evangelii præconibus Occasionem subministrare potuisset, ad tot miliones hominum convertendos, accedendi? Si Salomo tam longinquas navigationes instituit, quidni is, qui major est Salomone, & cui reservata erat plenaria gentium conversio, ejusmodi mediis uti potuit? Qui acum magneticam creavit, an vires ejus tum temporis patefacere non potuerit? Vide Pinedam de rebus Salomonis p. 270. & 273. Quod acus magnetica priscum sit inventum. Concludimus igitur verbis Barradii in concordantiâ Evangelicâ Tom. 3. l. 9. c. 2. Hæc quodq; verba, Et prædicabitur Evangelium &c. ad tempus pertinent præcedens excidium Hierosolymorum &c. Hæc sententia est Chrysoft. hom. 76. Theophylacti, Euthymii & Hilarii. Probat autem Chrysoftomus, Evangelium ante excidium Jerus.

toto orbe esse prædicatum his verbis: Quod ante urbis everſionem
 per mundum Evangelium effuſum eſſet, Paulum audi Rom. 10.
 In omnem terram exivit &c. & rursus ad Coloffenses 1. v. 23.
 Prædicatum eſt Evangelium univerſæ creaturæ &c. Et videas
 Paulum ab Hieroſolymis uſq; ad Hiſpaniam currentem: quod ſi
 unus in tantâ orbis parte prædicavit, quid à reliquis factum fue-
 rit? Sed & alibi, Coloffensium 1. v. 6. de Evangelio ſcripſit, quod
 fructum ferat & creſcat, in omni creaturâ, quæ ſub cælo eſt. Sic
 Chryſoſtomus. D. quoq; Hilarius can. 25. Per omnes, inquit,
 orbis partes viris Apoſtolicis diverſis Evangelii veritas prædicabi-
 tur. Et cum univerſis fuerit cognitio Sacramenti cæleſtis inſeria,
 tunc Jeruſalem occaſus & ſinis incurbet, ut prædicationis fidem
 & infidelium pœna & motus eruce civitatis conſequatur. Ad-
 dit Chryſoſtomus, hanc velocem per totum orbem Evangelii pro-
 mulgationem, maximum eſſe argumentum omnipotentia Chri-
 ſti &c. Chryſoſtomi interpretationem ſequuntur Abulentiſis,
 Byranus, Janſenius, Salmero; hæc mihi videtur veriſimilior, ut ex
 ſequentibus colligetur.

Tantum pro ratione temporis ac in-
 ſtituti.

τῷ Θεῷ ἀπροσωπολήπτως
 ὑμᾶς καλεῖν δόξα.

Pieta

*Pietate verâ, Eruditione insigni, Virtute verâ
prestantissimo,*

Dn. M. ALBERTO GÜNZELIO &c.

Pro foculis alii pugnent, pro dulcibus aris
Impete, GUNZELI, tu capis arma pio.
Quos vocat ad caelum DEUS, hos clam destinet Orco!
Ipsa Fides simulet? damna det ipsa Salus!
Ut cauda feriat, facie blanditur amica
Scorpius, hunc morem dixeris esse DEI!
Fallat nos lacrymis Crocodili, summas amator!
Lingua favum stillet, cor aconitâ comat!
Non dat verba DEUS, non opplet follibus aures,
Plena DEUS vitâ, flamine plena sonat.
1. Quis vocat gre? DEUS, DEUS osor fraudis & ulcor,
Non Stygius coluber, non simulator homo.
2. Quid si verba daret! sine re, sine mente loquelas!
Cede procul! Vult, vult DEUS, esse tuus.
3. Fortè volet paucos! immò ille benignus in omnes,
Omnes vult epulis exaturare suis.
4. An genios? non hos vocitat, precioré requirit,
Verum homines; homines munera tanta manent.
5. Forsan ut bis tantum sit gratia, gloria paucis!
Quid? Salvos, Salvos quoslibet esse cupit.
6. Et non pragustu saltem tituloq; beatum,
Sed fieri, fieri, vult hominum omne genus.
Perge DEI bellum, GUNZELI, laurea certa est,
Instructus verbi cuspide victor eris.

αὐτοσχεδίως

Paulus Röberus D.

Dicta

Plin. l. 11.

cap. 25.

Plin. l. 6.

cap. 20.

1. Tim. 2. v. 4

1.

DEUS,

2.

vult,

3.

omnes,

4.

homi-

nes,

5. 6.

salvos

fieri.

Dicta quæ explicantur.

Exod. 7. v. 4.	pag. 30.	Luc. 24. v. 27.	p. 21.
Deut. 30. v. 2.	17.	Joh. 6. v. 29.	30.
Pfal. 19. v. 5.	50.	Joh. 6. v. 44.	32.
Cant. 1. v. 4.	32.	Joh. 6. v. 45.	13. 42.
Es. 55. v. 1.	22.	Joh. 3. v. 8.	39.
Jer. 31. v. 18.	33.	Act. 4. v. 12.	9.
Thren. 5. v. 21.	32.	Act. 7. v. 51.	34.
Matth. 3. v. 2.	18.	Act. 15. v. 13.	9.
Matth. 11. v. 25.	28.	Act. 13. v. 48.	39. 40.
Matth. 11. v. 27.	29.	Act. 16. v. 14.	15.
Matth. 11. v. 28.	20.	Act. 17. v. 30.	17.
Matth. 13. v. 11.	14.	Rom. 8. v. 28.	29.
Matth. 22. v. 7.	25.	Rom. 9. v. 78.	40.
Matth. 23. v. 37.	23.	Ephes. 2. v. 5.	32.
Luc. 8. v. 10.	14.	2. Thes. 3. v. 2.	39.
Luc. 14. v. 23.	25.	2. Petr. 3. v. 9.	19.

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 2. lege FN l. 5. lege □□ p. 4. l. 32. lege pruten. l. 33.
 Iozlerus. p. 5. l. 25. lege IUN p. 8. l. 25. lege v. 1. p. 11. l. 10. lege, ratio-
 ne modi proponendi. p. 13. l. 2. lege, quâ sine. p. 13. l. 10. dele, quod.
 p. 18. l. 15. παρὰ γὰρ τῆς p. 29. l. 30. lege v. 29. pro 20. p. 36. l. ante-
 pen. lege, naturalis. Cætera linquimus Humanitati Lectoris.

05 A 2087


ULB Halle

3

003 783 162







I. N. J.
SOBRIA ASSERTIO
DE
UNIVERSALI
OMNIUM HOMINUM
VOCATIONE AD SALUTEM,

ET SELECTIM
DE DIFFICILI QVÆSTIONE
An Evangelium Apostolorum
tempore sit prædicatum in Americâ, & aliis
novi orbis partibus?

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,
DN. PAULI RÖBERI, SS. Theol.
Doctoris, P.P. Pastoris ac Superintendentis VVit-
teb. atq; vicinarum Ecclesiarum Generalis, Synedrii quo-
que Ibidem Assessoris, Patroni ac Præceptoris sui honorandi,

*Calvinianis opponere
&
Publico doctorum colloquio discutiendam
exhibere voluit*

M. ALBERTUS GÜNZELIUS

Stolpenâ-Misnicus.

In Auditorio Majori, ad diem 10. Octobris.

WITTEBERGÆ

Typis Jobi Wilhelmi Finckii, Anno M DC XXXIX.

Errata